


PAPELES

VARIOS







CATHOLICA QVERIMONIA

1 o/u

ILLVST. AC REV. DÑI D. FR. ILDEFONSI A S. THOMA EPISCOPI MALACITANI.

Per quam pro se, & pro Societate Iesu iure invectus.
In Petrum Iurieu, & Practicum Moralem.

Ad SANCTISS. INNOCENT. XI. pedes pervolutus obsecravit.
Vt muta fiant labia dolosa, & obstruatur os loquentium iniqua

APOLOGETICE DECLAMATA.

PER Doct. D JOANNEM EMMANVELEM ROMERO DE VALDIVIA.

Olim Regalis Maioris Granatensis Collegij Alumnum.
NEC NON EIVSDEM COLLEGII, ET IMPERIALIS Vniversitatis Rectorem,

ET IN EADEM VNIVERSITATE INSTITVTIONVM CATHEDRÆ MODERATOREM.
IN REGALI CHANCELLARIA CAVSARVM PATRONVM CANONICVM DOCTORALẼ MALACITANÆ ECCLESIÆ
SANCTÆ CRVCIATÆ JVDICEM.
IVDICEM SYNODALEM, ET EXAMINATOREM Generalem in Malacitano Episcopatu.
DEHINC ARCHIDIACONVM MALACITANVM,
PROVISOREM, ET VICARIVM GENERALEM.
ET EIVSDEM DOMINI EPISCOPI COMMENSALEM
MINISTRVM TITVLAREM SANCTI OFFICIJ SVPREMÆ AC GENERALIS INQVISITIONIS.

D. Fr. ILDEFONSVS à S. THOMA, EPISCOP. MALACITANVS
Dilectissimo Fratri Nostro Archidiacono Malacitano Officiali, ac Vicario Nostro Generali,
S. in D.

T*imotheo Charissimo filio* inscribit Apostolus Epistolam 2. *cap.* 1. & quasi prenuntians Societatis Jesu purissimę Religionis adversarios, ita eloquitur cap 3. *Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi : scelesti, sine affectione, sine pace ; criminatores :: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes :: semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes ::*

Eiusdem furfuris reputavimus *Practicum Moralem*, & libelli *spiritus Monsiur de Arnauld*, Authorem Anonymum, sed verè *Petrum Iuricu*, suosque gregales, qui *Theatri Iesuitici* aconitum propinant.

Cum verò pro eis, & pro virulento *Theatro* bellum epistolę suę á Doctore Antonio de Arnauld vltro adversùs nostram *Catholicam Querimoniam* indictum viderimus, cum Paulo prosequamur *Quemadmodum Ioannes, & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente.*

Huiusmodi autem bellum contestari, contēpsimus; satis enim nobis est, si id cum Apostolo respondeamus, quod connectit ibidem: *Vltra nec proficient : insipientia enim eorum manifesta est omnibus, sicut, & illorum fuit.*

Tibi vero, Vicari Noster, & Frater amantissime, quid dicamus? *Quod in tua declamatione* proculdubio *assecutus es meam Doctrinam, fidem, patientiam:::*

Vobis autem Religiosissimis Jesuiticis Pauli sectatoribus quid? sed ipse dicat : *Quales persecutiones sustinuistis! & ex omnibus eripuit vos Dominus. Et omnes, qui piè volunt vivere in Chirsto Iesu persecutionem patientur. Mali autem homines, & seductores proficient in peius: errantes, & in errorem mittentes :: Dominus Iesus Christus cum Spiritu tuo. Gratia vobiscum Amen.*

CATHOLICA QVERIMONIA DECLAMATA.

DECLAMATIONIS ARGVMENTVM.

IMperatoriam Maiestatem; sic pręfatur Iustinianus *in proemio institutionum.* [Illustrissime, ac Reverendissime Domine, inter Pręclarissimos facile Princeps] sed mutatis vocibus, seu congruentiùs pro Te mutuatis, profari liceat (PASTORALEM DIGNITATEM) *non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam.* Ad quid autem iste armorum decor? Ad quid ista legum armamenta? Respondet ipse: *Ut Princeps Romanus:* Nos vero, VT MALACITANVS ANTISTES, *non solùm in hostilibus pralijs Victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat, & fiat tam iuris Religiosissimus, quam victis hostibus triumphator Magnificus.*

Ideo pro tuo Nomine defensando à *Practici Moralis* impostura, & *à libello spiritus Monsiur de Arnauld* ex eadem *Practica* per *Iurieu* celata manu edito, & tibi falso librum *Theatri Iesuitici* adoptante; necnon pro Societate ab hostiú calumnijs protegenda in tua celebratissima *Catolica Querimonia* accinctus ad bellum prodijsti; id enim dissertissimè innuis, dum *in prefatione* ais: *induam pro Thorace iustitiam, & accipiam galeam, iudicium certum, id est sincerum, non fucatum, & carens omni simulatione, & dissimulatione, vt Grace legitur:* Coronatus es ergo, quia *legitimè* certasti tam Religiosissimę Societatis *Iuris Religiosissimus*, quam *Practico Morali, & Petro Iurieu victis hostibus Magnificus triumphator.*

Huiusmodi triumphi auspicia fœlicissima stemma tuum omnino portendebat; quandoquidem inter alia Altissimæ Tuæ Nobilitatis Insignia illud relucet; Crux nempé sanctę

In-

Inquisitionis limpidissima, Diademate supe ornata, & hoc lemmate circunscripta: ARMA MILITIÆ NOSTRÆ. Horruerunt protinùs Iesuitarum hostes dum enim per tuam eloquentissimam *Catholicam Querimoniam*, vt muta fiant labia dolosa, & obstruatur os loquentium iniqua, intendisti, arma ista, ea referre haud dubio persenserunt, quę ostentat Divus Paulus 2. *ad Chorinth.* 10. 4. *Arma militia nostra, non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionũ, consilia destruentes, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Nemo sanè contra huiuscemodi arma insurgeret, nisi qui, per ea in tua *Catholica Querimonia*, districta; suos in Societatem Iesuiticam insultus nefarios profligari sub tua Protectione animadvertens, ira percitus infremuisset: *Ira est enim* ait Augustinus, *cum inest opinio turbulenti appetitus offendendi ea, qua facilitatem actionis impediunt Ideò plerumque non hominibus tantùm, sed calamo irascimur in scribendo, cumque collidimus, aut frangimus, & aleatores tesseris, & pictores penicillo, & cuicumque instrumento, quilibet, ex quo difficultatem se pati arbitratur.*

Dolet proculdubio Iesuitarum gloria, cui dolet *Catholica Querimonia*; inde quidem ira; nã eam definivit cũ Aristotele Seneca *de ira, lib.* 1. *c.* 3. *Iram esse cupiditatem doloris reponendi.*

Indê non mirùm, quod *Practicus Moralis*, necnõ *Petrus Iurieu* prosiliret in iram *Brevem insaniam* [vt cap. 1. inquit Senec.] *æquê enim impotẽs sui est, decoris oblita, necessitudinũ immemor, in quod cœpit pertinax, & intenta, rationi, cõsilijsq; præclusa.*

Sed præter opinionem causam sibi sumit *Doctor Antonius Arnauld*, eodem profecto livore tinctus, quo *Practicus* posset, & *Iurieus*; omnia enim irati animi signa præsefert; quæ innuit Seneca dicto cap. 1. *Vanis agitata causis, ad dispectum æqui, verique inhabilis*, ita enim se se impellit in contentionem *Doctor Arnauld*, vt totam intendat evacuare *Catholicam Querimoniam*; penitùsq; subsistere quæcũque *in Theatro Iesuitico* adversùs Societatem pungunt scripta: *Ratio id iudicari vult, quod æquum est: ira id æquum videri vult, quod iudicavit. Ratio nihil præter ipsum de*

quo agitur, spectat: ira vanis, & extra causam versantibus commovetur, idem Philosophus *cap. 16.*

Vanis ergò commotus insurgit causis. Quid vanius, quam se exhibere lęsum ex *Catholica Querimonia?* Quid iracundius, quam ex hoc in Societatem, in *Catholicam Querimoniam*, immô, & licet reverenter, *in Te* etiam irrumpere: vt opportuné id dicamus, quod de Cnei Pisonis iniusto iudicio arguté idem Cordubensis ibidem: *O quam solers est ira ad fingendas causas furoris! :: excogitavit, quemadmodùm tria crimina faceret, quia nullum invenerat.*

Eò devénit Doctoris istius ausus, vt postquam tela sua in Societatem, & in *Catholicam Querimoniam* contorsit, in id pręceps ruerit, vt tandem dixerit, non minorem *Tibi* gloriam ex eo, quod *Theatrum Iesuiticum*, vt non Tuum expleveris, quam si *Catholicam Querimoniam* Tuam esse inficieris.

Invulnerabile est, (Illustrissime Domine) *non quod non feritur, sed quod non læditur*; aiebat idem Cordubensis, *de constantia sapientis, cap. 3.* Ferire studuit Arnaldus; sed non læsit: invulnerabilis est *Catholica Querimonia*. *Quid tu putas* (loquamur ad Arnaldum cum Philosopho cap. 4.) *Quid tu putas cum stolidus ille Rex multitudine telorum, diem obscurasset, vllam sagittam in solem incidisse?*

Indé (Illustrissime Princeps) pro serenitate tua immotum exhibēdū animum duxisti; ex quo eius altitudo prominere visa est. *Illud non venit in dubium* (aiebat ipse Philosophus) *lib. 3. de ira, cap. 25. quin se exemerit turbæ, & altiùs steterit, quisquis despexit lacessentes, proprium est magnitudinis veræ, non se sentire percussum; sic immanis fera ad latratum canum lenta respexit.*

Nec Jupiter in Cæsarem fulmina retorsit; *Qui iratus cœlo, quod obstreperet, Pantomimis, quos imitabatur, ad pugnam vocabat Iovem, & quidem sine intermissione Homericum illum exclamans versum: TOLLE ME, AUT EGO TE. Quanta dementia fuit? Putavit, aut sibi noceri, ne à Iove quidem posse,*

aut se nocere etiam Iovi posse, Seneca *lib. 1. de ira, cap. 16. in fine.*

Vbi ex Dione Cassio Lipsius scripsit. *Machinã excogitasse, qua tonitribus obstreperet; ac contra fulmina fulminaret; ac quoties ea decidissent, lapidem vicissim eiaculabatur, & in cœlum mittebat cum voce: TOLLE ME, AUT EGO TE.*

Contra *Catholicam Querimoniam*, tonitrua, & fulgura, pro Societate Jesu in adversarios iaculantem, tonat, & fulgurat Arnaldus, qui, licet Pantomimicé, ridendum lapidem in cœlum emittat: *Super verticem suum iniquitas eius descendet.* Quanta dementia fuit? Putavit ne, aut sibi noceri, nec â Jove Malacitano posse, aut nocere etiam Sacro Antistiti posse?

Ergò nec Te huiusmodi Doctoris libera epistola, vt nec Jovem Cœlaris ausus immutavit: audivi enim Te regiâ sententiâ proloquentem, vt aliás in *l. vnica, Cod si quis Imperatori maledixerit.*

Ibi: *Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus improbo, petulantique animo, maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus, obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum pœnis nolumus subiugari, neque durum aliquod, nec asperum volumus sustinere; quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est; si ex insania, miseratione dignissimum; si ab iniuria, remittendum.*

Satis est gloriæ tuæ, Illustrissime Domine, victoria de Philisthijm reportata, quatenù Petrus Jurieu *Spiritum Munsiur de Arnauld ex Practica Morali* viventem, exhalavit; quem quidem proprio gladio, argumentis videlicét ad hominem iugulasti.

Abscissum caput coram Sanctissimo in tua supplici, & elegantissima oratione demonstrasti; per quam non solùm per Romam, sed per totam Italiam; Hispanias, Franciam, Pannoniam, immô per totum Orbem terrarum circumlatum est; quemadmodùm illud Goliath: non tantùm coram Rege; sed per Jerusalem, omnesque per vrbes. Abulens *Reg. lib 1. cap. 17. ...... 37.*

Plau-

Plauſerunt David triumphat rem Jeroſolymitani cantus; vt teſtatur Sacra Hiſtoria. Sed cum *iuſti* Jeſuitę Te vindice *tulerunt ſpolia impiorum, decantaverunt nomen tuum* omnes vbique Catholici *& victricem manum tuam laudaverunt pariter; quoniam ſapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas*, Sapient. 10.

Satis eſt gloriæ tuæ, ſed nihilominùs congruè exhortatur Divus Bernardus ad EugeniumPapam *lib* 1. *cap* 9. *Præſcinde linguas magniloquas, & labia doloſa claude, hi ſunt qui docuerunt linguas loqui mendacium diſerti adversùs iuſtitiam: eruditi pro falſitate, ſapientes ſunt, vt faciant mala, eloquentes, vt impugnent verum.*

Aſt quia dices, Tuæ Magnitudinis, & Serenitatis nõ immemor: *Qui tribulant me exultabunt ſi motus fuero* Pſ. 12. Ego Illuſtriſſime Domine, vtpotè ſervus *Tibi* lubentiſſimè addictus, & Societatis Jeſu amantiſſimus Alumnus Ego Philiſthijm linguam, & ſuorum gregalium diſſecabo, vt quõdam Nicanoris diſſecta eſt iubente Machabæo *lib.* 2. *Sacræ Hiſtoriæ, cap* 15. Pro *linguis intelligit ſcripta*, Caſtro *de iuſta heret, punitione, lib.* 2 *cap.* 15. Et concludit: *Has igitur linguas, hoc eſt eorum libros oportet abſcindere.*

Sine ergò me, Illuſtriſſime Domine, petulantes linguas abſcindam. Sed quo gladio, niſi *Catholica Querimonia? Non eſt alius huic ſimilis.* Gladius quidem anceps ad faciendam vindictam *in Practicam Moralem*, increpationem in *Epiſtolam Doctoris Arnauld.* Ad id ergó *Catholicam Querimoniam Tuam*, Illuſtriſſime Princeps, impari quantumvis calamo, declamabo.

DISSECTIO I.

QVerelam primam inſtituit Arnaldus ſupponens aſpero ſtylo in eum eſſe actum in *Catholica Querimonia* & repetitis iniurijs agitatum; de quo exclamat in principio

pio epistolæ suæ, cui finis consonat: & valde irridet se immeritô appellatum esse *Goliath*.

Relucet quidêm in hac querela, illa M d. rum sententia â Seneca tradita, *lib. 5. de Benef. cap. 12. Stomachus morbo vitiatus, & colligens bilem quoscumque accepit cibos mutat, & omne alimentum in causam doloris trahit.* Stomachatus ergó Monsiur Arnaldus Societati Iesu, quidquid adversùs eius hostes in Catholica Querimonia perorasti; id in se iactatum æstimavit. Nam neque verbum quidem in tota Catholica Querimonia de Arnaldo fit, sed tantummodo ex epistola Divi Bernardi 199 allusionem tantum gis inter *Petrum Iurieu*, vt armigerum,& *Arnaldum*, vt Goliath. Sed eâ quâ, decet modesta hæsitatione, vt patet §. 7. n.2. ibi: *Sanctissimus iste Doctor* (Divus Bernardus) *Practica Moralis Iesuitarum Authorem, modò sit Arnaldus, vt innuit Petrus Iurieus in suo spiritu, ipsumque Petrum Iurieu veluti præsignavit.*

Ergò evacuatur tota Arnaldi querela, si ipse Practicæ Moralis Author non extitit. Quod si in *Practicam Moralem*, & in Iurieu duro stylo inveheris Illustrissime Domine, quid ad Arnaldum? cur se iniurijs impetitum æstimat, & dolet?

Si autem *Practici Moralis*, & Petri Iurieu vindex ostendi cupit, eò quod in eos stylum distrinxisti, pro Te sunt Divus Augustinus *ad Petilianum lib.3.cap.1.* Divus Hieronymus *contra Vigilantium.* Idem Augustinus *epistola 216.* Catherinus *opusculo de eliminandis libris noxijs.* Divus Basilius, Petrus Cellens. Epistol. 8. Epiphanius, Divus Gregor. Quos omnes styli huiusmodi amplissimos antesignanos cumulasti, §. 2. *Catholica Querimonia*, & eodem spiritu inveheris.

Nonnê Divus Paulus quandoqué eo stylo vtendum fore monuit Episcopos? Sed & ipse vsus est: *Multi inobedientes, vaniloqui seductores: Dixit quidam ex illis proprius ipsorum Propheta: Cretenses semper mendaces, mala bestiæ,* ven-

ventres pigri. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos durè, vt sani sint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum aversantium se à veritate. Ita *in epistol. ad Titum.*

Duré igitur optimo iure *Practicam Moralem*, & Iuricu, consultò increpasti, sale vndique orationem perfundens: *Ne ergò* (ais) §. 2. *n.* 7. *insulsi videamur, sale vtimur, qua condita nostra oratio iuvare poterit, &c.* In quo proculdubio Apostoli imaginem refers *ad Colos.* 4. *Sermo vester semper in gratia, sale sit conditus, vt sciatis, quomodò oporteat vos vnicuique respondere.*

Sed quo sale? *Lenitate scilicèt, suavitate, candore, sapientia, delectu, lepore, venustate, quin etiam, vbi opus est, mordacitate, atque acerbitate* (vt explicat Miedes) *in commentar. de sale, lib.* 4. *n.* 70. His omnibus salibus Tua est conspersa Catholica Querimonia.

Sale præterea veritatis, pro Te, & pro Religiosissima Societate: *Nihil enim* (ait Miedes ibidem) *ad Divinitatem propiùs accedere, aut cum ea idem esse apparet, quam summa veritas, per salem, expressa quadam imagine adumbrata.* In eam intendens ais, Illustrissime Domine, § 1. *n.* 1. *Ideoque sæcula in testes ducimus, & typis damus veritatem, vt semper posteritati vesanus huiusmodi hostium dolus innotescat.* Cederet proculdubio, Arnaldus veritatis tuæ sali, nisi caliginosis iræ cessisset officijs; quæ disertè exprimit Seneca *de ira. lib.* 1. *cap.* 16. *Etiam si ingeritur oculis veritas, amat, & tuetur errorem, coargui non vult, & in malè cœptis, honestior illi pertinacia videtur, quam pœnitentia.*

Vindice, sale vsus es, Illustrissime Domine, adversùs Societatis adversarios: *Nam etiam Cacodæmones, sacro sale perterrefactos sic à nobis fugamus, vt subinde graves illorum in nos impetus, facile sit, modò numen adsit, non modò sustinere, sed vt inanissimos debilitare, atque perfringere: ex quibus relinquitur etiam impiorum vindicationem à Deo mortalibus concessam.* Miedes *lib.* 2. *n.* 29.

Pu-

Pupugit vehementer Arnaldum, quod de satyra in Societatem dixeris: *Libellum hunc indignum, vtpote inter inferni tenebras fabricatum; cuius titulus est: Practica Moralis Iesuitarum.* Quod consequenter ad tuos tales electus es.

Nam vbi prælo mandari; vbi efformari posset talium libellorum materia? Quos sortietur Authores? Qua vi excitabuntur? Omnia veluti comprehendit, iam relatus Miedes *de sale lib.4. n.8.* ibi: *Eadem ipsa excitante invidia, infinitæ ipsorum dæmonum legiones à Sathanicis infernorum cavernis, aut potiùs, vt Augustinus ait, ex caliginoso loco aeris quotidie in nos involant, pro veritate mendacia, & fucos suggerunt, atque validos exagitant, & DISCRVCIANT.* Et cōcludit: *Inclita vis salis, quod tanti sit ad fugandos dæmones!* Inclita vis, dicamus, *Catholicæ Querimoniæ!* quæ suo sale, *spiritum Arnauld, &. Practicam Moralem* fugavit.

Vnde sub huiusmodi salis acerbitate, consequenter adversùs eos, dixisti, Illustrissime Domine, *dict. §. 2. n. 3. Oportet ergò in vos spiritus maledicentissimi stylum armare, vnique severa manu contundere, esse enim omnino asperum, hic citra labem est. Hæc enim durities, & aspe itas non est vitio scriptoris vertenda, sed referenda in conditionem materiæ. Est enim* (dicis cum Augustino *epist. 216.*) *Salubris mordacitas charitatis debita malignis. Exercetur in Dæmonia hæc execratio, cum in hæreticos stringitur calamus, ideo eos appositè denominat Catherinus diaboli fistulas, per quas loquitur, & improvidos plerosque dementat.*

Aspidem sæpè nominasti Practicum Moralem, & Petrum Jurieu. Ergò sale eis occurrere recti fuit consilij. Nam iuxta *Plinij, aliorumque sententiam adversùs serpentum morsus qui recta via cor petunt diligenter admotus venenum omne antevertit, & necat:* scribit idem Miedes *lib 2. n. 18. in fin.*

Aspis, quos percusser it in mortiferum somnum redigit; vnde somniculosa, & somnifera dicitur. Dixit Textor *in Epithet. verbo, Aspis,* Plinius *de natura animal. lib. 29. cap. 4.* Et Miedes *dict. lib. 4. n. 59.* ait: *Lethargo laborantibus inter alias*

sicuti

ſicuti remedio eſt frequens exſuſcitatio, quæ valido clamore fit, aut vellicatu narium, auriumque attritu: tùm, & mica ſalis ad pungendum. Ergo vt expergiſcerentur, qui aſpidum veneno infecti ſomniabant Te eſſe Authorem *Theatri Ieſuitici*, tuis ſalibus eos pungere diſertiſſimè ſtatuiſti.

Dum ergò de ſalibus tuis queritur Arnaldus, vtrum ſibi aſſeverãdũ eligat, vel ſine cauſa queri, vel eodem vulnere, quo *Practicus*, & *Iurieu*, laborare; quod ſi ita eſt, hoc ſibi, non Tibi imputet, qui de Arnaldo, nec verbum faciens; *vulnera fricanda ſunt ſale, vt dolore concepto id medelæ, & ſupplicij locum gerat*, egregie vbi ſupra contexuiſti.

DISSECTIO II.

NOtat vt ſpeciale omnia exemplaria Catholicæ Querimoniæ manu Tua ſubſcripta eſſe; & addit Te id feciſſe ad ſuggeſtionem Ieſuitarum. Sed ipſe & arguit, & diſſolvit argumentum. Nam agnoſcit vereri poſſe, ne â Jeſuiticis compoſitam eſſe Catholicam Querimoniam intelligeretur. Admittimus ſolutionem. Sed falſum omninò eſt, id te effeciſſe ad ſuggeſtionem Jeſuitarum.

Minimè inficias ibimus ſibi de Catholica Querimonia Jeſuiticam Religionem congratulari. Sed quid mirum? Patiebantur, quamtumvis Apoſtolicâ conſtantiâ, quod prædixit Paulus 2. *Corinth.* 11 *Libenter enim ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ipſi ſapientes: ſuſtinetis enim, ſi quis vos in ſervitutem redigit; ſi quis devorat, &c.*

Theatri Jeſuitici ſervitutem gemebant [ſervitutis enim ſpeciem conſtituunt calumniæ] redemptione indigentem: *Redime me à calumnijs hominum*, Pſal. 118. Plauſerunt te Redemptorem delentem chirographum *Theatri*, damnati adversùs eos ſcriptum. Vnde neceſſariò gratanti animo in fronte Catholicæ Querimoniæ gaviſi ſunt inſcriptum eſſe indubitabili ſigno, nempè propria Tua *Sacra*

manu, & Nomen, & Dignitatem Redemptoris *Fr. Ildefonsus à Sancto Thoma Episcopus Malacitanus.* Forsitan ex hac causa codices Nomine, & Dignitate Tua decorasti?

An verô quia manibus aliquorum Principum data est â Deo gratia curationum, vt Regibus Franciæ, & Angliæ morbum sanare strumarum: quemadmodùm Regibus nostris Catholicis fugandi dœmones humanum corpus obsidentes; vt scribit Borrel. *de præstant. Reg. Catholici, cap.* 55. Ideó vt Te causam non esse doloris iniuriarum Theatri Jesuitici ostenderes, admovisti manum ad dolorem, quo angebatur Societas, vt fœliciter sanaretur?

An ob hæc manu propria, Catholicam Querimoniam obsignasti? *An quia obstruere os loquentium iniqua* intendebas, vt lemma tuæ orationis continet, ideo manum tuam applicuisti iuxta illud Persij Sat 4.

Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Maiestate manus.

Sed ne per prærupta divagemur, dùm viam planam inire, in promptu est; rationem tradere, non retardemus huiusmodi disertissimę singularitatis. Scis enim; & [*licet servus nesciat, quid faciat Dominus eius, Ioan.* 15.] scio etiam [quia antequam manu propria, & nominis subscriptione codices in fronte firmasses; id mihi parvulo revelasti] nullam ob aliam causam impulsum esse, quam vt occurreres hostium versutiæ, qui quemadmodùm Tibi adoptarunt temere *Theatrum Iesuiticum*, cavendum erat ne, vel Catholicam aliam Querimoniam, pro suo libito, nomine tuo conderent; vel veram adulterarent, vel Tuam esse negarent.

Authenticam igitur omnino voluisti haberi *Catholicam Tuam Querimoniam*; id enim & Tua intererat, & materię gravitas postulabat. Quod quando id curant Principes, manu propria muniunt instrumenta. vnde Arnoldu. Clapmar. *lib.* 3. *de arcanis dominationis*, cap 5. ait: *Pari ratione nemini licuit Principis manum imitari; arcer* [illegible]

Vbi

Vbi prosequitur: *Quippè est hoc non tantùm improbum, verumetiam periculosum ipsi Principi, quod is qui eadem qua Princeps nititur scriptura, aut littera, Principem apud subditos miris modis suspectum, atque invisum facere potest.* Quodnam tibi negotiũ facessere nõ possent Hęretici, si aliam Catholicam Querimoniam nomine Tuo possent efformare? Ergò his omnibus malis providè occurristi manu Tua, Nomine, & Dignitate signans codices Catholicæ Querimonię.

Nec desunt ad id Iurisperitorum authoritates. Textus est in *l. vnica, C. de mandatis Principum,* ibi: *Sacras nostras litteras esse quærendas.* Quam imitans Bonifacius VIII. *in Extravag. de electione*, eandem adstruit sanctionem. *Nisi priùs,* ait, *quod asserit, legitimis ostenderit documentis, tam ex civilibus, quam ex canonicis institutis colligitur, asserenti namque cum mandatis Principum se venisse credendum non est, nisi hoc scriptis probaverit.*

Nec opus est, vt tota scriptura manu Principis efformetur; nam *sola subscriptio Principis in epistola sua idem operatur, ac si totam epistolam scripsisset.* Gonçalez *in Reg. 8. Chancell. gloss. 60. n. 8.* Et ita Iurisperiti intelligunt textum *in l. 1. §. 1. ff. de constitut. Princip.* ibi: *Quodcumque igitur Imperator per epistolam, & subscriptionem statuit.*

Indè pro rei pondere, & gravitate, aliquando nec litteris Pontificijs fidem adhiberi fas est, nisi Manu Sanctissimi subscriptis; vt accidit in litteris avocationis ab Ordinario in prima instantia iuxta Concilium Tridenti. *Sess. 24. de Reformat. cap. 20.* ibi: *Ex vrgenti, rationabilique causa iudicaverit Summus Pontifex per speciale rescriptum signaturæ Sanctitatis suæ manu propria subscribendum.* Vbi omnes notant, *speciale*, in subscriptione consistere: Nicolaus Garcia *de Benefic. 6. p. cap. 3 à n. 3.* & omnes quos congerit Salgad. *de supp. 2. p. cap. 6. ex n. 18.*

Quæ iuridica paritas optimè Tuæ subscriptionis solicitudinem applicatam esse demonstrat; adstitit enim causa rationabilis; immò, & vrgens, nam si sub Tuo Nomine-

&

& Authoritate prævaluerat *Theatrum Iesuiticum*; & denuô sub ipso Nomine, & Authoritate *Catholica Querimonia* adversùs Theatrum Jesuiticum edita illucesceret, quid quisque credere debebat, versaretur in ambiguo; an videlicet *Tuum* esset *Theatrum Iesuiticum*? An potiùs Tua *Catholica Querimonia*? Et vt instrumentis inter se repugnantibus, vtrique fides abneganda foret, ex textu *in l. vbi repugnantia, de reg. iur.* optimé Pareja *de instrum. edit. tom. 2. tit 7. resolut. 1...5. n. 7 & seq.*

Cuius controversiæ periculum omnino in Te, & in Societatem maximé impendebat à Populari iudicio; eò quod sæpé *scinditur incertum studia in contraria vulgus.* Immó sępissimê, quæ adversùs Religiosos mentita est iniquitas, propensiore animo amplectitur, vt iam pridem dolenter tetigit Divus Chrisostomus *lib. 1. adversus vituperatores vitæ Monasticæ.*

Ibi: *Sive enim in forum eruperis, eam contentionem offendes, adspiciesque, vel in tabernis medicorum, vel in qualibet vrbis parte, vbi sedem habere solent hi, qui nihil operari volunt, ingentem risum ab omnibus moveri. Risus autem huius, & comœdiæ ratio, ac materia omnis est eorum, quæ adversús Sanctos viros gesta sunt, iucunda, ac festiva narratio.*

Quod laconicé priùs innuerat, quasi propheticé respiceret ad Societatem Jesu. Salvianus *lib. 3. ad Eccl. Catholicas*, pag. mihi 594. *Nullos pietas minus respicit, quam quos præcipuè Religio commendat.*

Quæ præcipuê à pietate deflexio evenit abiectissimæ indolis hominibus; quia, vt *culices ad dulcia non advolant, sed ad acria petunt*, Plin. *lib. 10. cap. 72. Arist. lib. 9. cap. 35.* Ita quidam maledicis, & infestis sermonibus vehementiùs delectantur. Immò commune est, vt satyræ potiús attendantur, & extendantur, quam encomia. Textus *in cap. cum in iuventute, de Purgat. Canonica.* Vbi Innocent. 3. *Inimicus homo apud Regem, & Regni Magnates ipsum nequiter publicavit, vt sic deberet ampliùs infamari. Vnde nos*

tantam æmulorum nequitiam attendentes, licet pulsati fuerimus multoties contra eam, nunquam tamen adversùs ipsum potuimus commoveri: scientes, quod dictum unius facile sequitur multitudo.

Ergò licet cordatus quisque *Theatrum Iesuiticum* reijceret, & á Te compactum minimé autumaret, sed *Catholicam Querimoniam* statim Tuam esse crederet: contrariū verò malignantis naturæ homines indicaturos fore præcavendum erat. Recto igitur iure ex his causis, vt decissionem á suspecta vulgi cognitione, & impijssimo Tribunali avocares, illud speciale patrare decrevisti, nempê vt codices omnes Tua Manu, & Nomine subscriberes.

Ex qua quidem subscriptione, quasi voce dilucida continuò audiaris asseverans, & testimonium proferens, expositum partum, & nothum esse *Theatrum Iesuiticum*: prolem verò Tuam legitimam esse *Catholicam Querimoniam*. Cum iuridicum sit, quod subscriptio dicitur, *vox, & testimonium ipsius subscribentis*, Gonçalez vbi supra n. 2. post antiquos in *l. si procuratorem, ff. de Procuratore.*

Præterea non abs re dicere possemus, *Querimoniam Tuam* Posteritati dicatam esse, & in Sacris ædibus Societatis Jesu reponendam. De posteritate supra tetigimus: *vt semper posteritati* [ais] *vesanus huiusmodi dolus innotescat.* Inde, ne vlla possit temporis fuligine hoc donum aureum confundi, & alteri Authori applicari, eam manu Tua, & Nomine illustrare duxisti; vt aliàs in textu in *l. Titia 38 § Seia 2. ff. de auro, & argento legato*, ibi: *Libroque signum Dei ex libris centum in illa Sacra æde, & in Patria statui subscriptione nominis mei.*

Supersedeat ex his Arnaldus ab admiratione specialitatis subscriptionis; & *Catholicæ Querimoniæ* Tua manu, & Nomine decoratæ debitam impendat reverentiam; ad textum in *l. cum filius 70 §. pater 5. ff. de leg. 2.* ibi: *Nepoti plus tribuas in honorem nominis mei.*

QVeritur Doctor Arnaldus de Te, Illustrissime Domine, quod dùm in *Practicum Moralem*, & *Petrum Iurieu* inveheris, confundis Catholicum cum hæretico *Iurieu*. Querela hæc [*si Practicus* Catholicus est, super quo in dissectione alia disseremus] ad Practicum attinebat; nō verò ad *Arnaldum*. Iste autem eam instituere poterat (si ratio aliqua illi sufragetur) contra *Petrum Iurieu.* Qui dùm ex *Practico Morali*, totum exhausit virus, illud appellat *Spiritus Monsiur de Arnauld.* Sed cur de Te queritur, qui nec levi pollice *Arnaldi* nomen tetigisti?

Queritur deinde exclamans, quod tantùm abest, vt cum *Petro Iurieu* confundi debeat *Arnaldus*, quinimò adversùs *Iurieum* scripserit Apologiam. Sed quid inde? Primò enim non vidimus Apologum. Rursùs certo certius est, non refutasse, nec respuisse nefarium librum *Spiritus Monsiur de Arnauld.* Vnde eum approbasse censendus est: *Approbare enim videtur, qui non contradicit. Paria enim sunt non contradicere, & approbare.* Agnoscunt Jurisconsulti Bart. *in l. ne in arbitrijs ad fin. C de arbitris*, Mascard. *de probat. conclus.* 121. *à n.* 10. *cum tribus seq.*

Ergò quid interest, vt *Petrum Iurieu* apolactizet? *Serpentes se invicem morsibus petunt.* Dixit Olaus Magnus in *Histor. Septentrion, lib.* 21. *cap.* 45. Et si Plinius in *præfat. lib.* 8 *Histor. natural. scribat: naturaliter serpentem in genus suum non sævire.* Sed quidquid sit, fallit in Basilisco. Audiatur Divus Isidorus *origin. lib.* 2. *cap* 4. *Basiliscus græcè, latinè interpretatur Regulus, eo quod Rex serpentium sit, adeô vt eum videntes fugiant, quia afflatu suo eos necat.* Textor etiā *in officin.* 2. *p.* verbo *serpentum*, notat: *Basiliscus solo halitu serpentem quemlibet magnum suffocat.* Seu vt dixit Ælianus *de animal. lib.* 2. *cap* 6. *expirationis appulsu torrescit.* Denique non confudisti cum *Petro Iurieu*, Arnaldum; sed *Practicum Moralem*; ergô non lacessitus Arnaldus insurgit in vindictam.

Ero

Ergò ipſe ſe cum *Practico*, *& Petro Iurieu* confundit, vt dum eos aſpides nominas, etiam aſpis Arnaldus videri velit. *Vnus huic tam peſtifero animali, ſenſus, vel potius affectus est*, (ſcribit Plinius *natural. Hiſtor. lib.* 8. *cap.* 13.) *coniuga ferme vagatur, nec niſi cum compare vita eſt. Altera interempta incredibilis alteri vltionis cura. Perſequitur interfectorem vnumque cum in quantolibet populi agmine notitià quadàm infeſtat. Perrumpit omnes difficultates: permeat ſpatia: nec niſi amnibus arcetur, aut perceleri fugà.*

Arcebitur proculdubio, Arnaldus ſapientiæ Tuæ flumine, quo redundat *Catholica Querimonia* quaſi dicens: *Ego ſapientia effudi flumina*, *Eccl.* 24. 40. Salomon enim ſæculi noſtri *eruditus es in iuventute tua*, *& impletus es quaſi flumen ſapientia*, *Eccl.* 47. 16. Cuius impetus non modò á vindice aſpide immunem omninò te reddit, ſed *lætificat Civitatem Dei*, Religioſiſſimam Societatem Ieſu. Ita vt te protegente Deo auſpice, *ſuper aſpidem, & Baſiliſcum ambulabant*, quemadmodùm civitas Dei; vt ſcribit Lyra, Pſal ..... *Dominus deduxit eos per deſertum, vbi erant animalia venenoſa, & ferocia; & tamen non nocuerunt populo permanenti in bono. Dominus Auctor fuit illis in ſolitudine mala, atque terribili, vbi erat ſerpens flatu adurens.*

Flatu internecat aſpis, non ſolùm morſu. Ælianus *de animalibus, lib.* 9. *cap.* 11. Flatu adurit, & Baſiliſcus, Divus Iſidor. *origin. lib.* 1. 2. *cap.* 4. *Ad eius adſpectum, nulla avis volans illæſa tranſit; ſed quamvis procul ſit, eius ore combuſta devoratur.* Non aliter de adverſarij Societatis Ieſu eloquutus es, §. 1. *n.* 31. *His enim verò, vt in cæteris ſpiritus afflat Iurieu.* Et poſtea *n.* 46. *Quid ni contra Iuricum; quid ni contra aliũ Practica Moralis Authorẽ dicatur, dùm vterque ſpiritum virulentiſſimum pectore abditum afflare per calamum tentatis?*

Ergò vel à vindicijs *Practici* deſiſtat Arnaldus; vel ſe comparem aſpidem denominari patiatur, ſeu Baſiliſcum.

ALteram ſimiliter nulla ratione ſubſiſtentem ſubnectit querelam Arnaldus; ſcilicèt *Ieſuitici Galli vernacula voce Catholicam Querimoniam decantant; vt per totam Galliam innoteſcat Monſiur de Arnauld eſſe inviſum Domino Epiſcopo Malacitano.*

Sed cùm Querimonia Catholica nihil (vt diximus) de *Arnauld* contineat, ſed tantummodo de *Petro Iurieu*, & ſuo libello; & de *Practico Morali*; aut vacua eſt Arnaldi querela; aut ſi nō Aſpidē *Practici* comparem iterū ſe eſſe fateatur, caveat ne Baſiliſci naturam æmuletur, cui Galli cantus eſt exitialis auſpicij: *Leo à Gallinaceo magno timore afficitur. Eodem timore eſt Baſiliſcus; cum enim eum videt tremit animo: cùmque eundem audit canentem, terrore concuſſus emoritur.* Tradit Ælianus *lib. 3. cap. 31. in Hiſtor. Animal.*

Ergò ex Gallorum cantu, ſolùm ſe perculſum exhibebit, quiſquis *Spiritus* Baſiliſci oſtendi maluerit. Deficiat itaque ad Gallorum cantus *Practicus Moralis*; deficiat *Iurieus*, & nocentiſſimus *Spiritus Monſiur de Arnauld.* Nam, vt Iſidorus ait, vbi ſupra loquens de Baſiliſco. *Nihil enim Parens ille rerum ſine remedio conſtituit.* Nec plura ſunt mala, quam remedia optimè Plinius. *Non eſt fateri rerum natura, largius mala, an remedia genuerit*, ſcribens etiam ſuper Baſiliſco *lib. 8. cap. 23.* At ſi etiam deficit *Arnaldus* ad cantum Gallorum, ſcrutetur apud ſe ipſum, an ſit idem cū *Practico Morali*, vel an ſit ſuus *Spiritus Monſiur de Arnauld.*

Sed cùm ſonorus nos excitet Gallorum concentus de eo audiamus Plinium *lib. 10. cap. 21.* *Hi* [aic] *noſtri vigiles nocturni, nec ſolis ortum incantis patiuntur obrepere, diemque venientem nuntiant cantu.* Sed elegantius Sacra Catholica Muſa.

Nocturna lux viantibus
A nocte noctem segregans
Præco diei iam sonat
Iuvarque solis evocat.

Nox erat *Theatrum Iesuiticum*, vtpoté tenebrosus tractatus de re tenebrosa, plenus implicatorum troporum, qui adversus Societatem Jesu mille phantasmatum turbulentas species configurabat, vt de eo illud Horatij meritó dici posset.

Iam te premet nox, fabulæque manes

Nox erat, quæ in Cathedra pestilentiæ sedens, nocti indicavit scientiam, nempé libro *Practici*, & *Petri Iurieu* scientiam, inquam, nocendi Jesuiticæ Familiæ: *Anocendo* (ait Natalis Com. *lib.* 3. *Mythologiæ*, *cap.* 12.) *nox dicitur, vt quidam volunt, quia noctis humor infestus sit hominibus.*

Nox erat vterque liber in cuius caligine insedens spiritus Theatri Jesuitici, spiritus *Practici*, & *Spiritus Monsiur de Arnauld* Sanctam Societatem exercebat. *Dæmonijs enim* (vt docet Divus Thomas 1.*p.* *q.* 64 *art.* 4 *in Resp.*) *duplex locus pœnalis debetur, vnus quidem ratione suæ culpæ, & hic est infernus alius autem ratione exercitationis humanæ, & sic debetur eis caliginosus aer. Vnde, & dæmones in hoc aere caliginoso sunt ad nostrum exercitium.*

Noctis filij in Societatem Jesu vbique in hisce libellis grassabantur, nempé rixa, contentio, & invidia, quam noctis prolem, non sine morali doctrina recenset Natalis proximi iam laudatus: *Multi* (ait) *noctis filij fuisse commemorantur, nam & rabiem eius filiam fuisse scripsit Euripides, sic etiam rixam, sive contentionem, & invidiam eius vocat filias Hesiodus.*

Patrem huiusmodi sobolis designavit Cicero *in lib. de Natura Deorum*, sed quem? Erebum ipsum: *Labor* (ait) *invidentia fatum, mors tenebræ miseria querela, frans, pertinatia, parcæ, quos omnes Erebo, & nocte natos ferunt.* Tota hæc malorum fraternitas in nefarij vtriusque libelli nocte de-

bachantur, vt de ijs vip eè Erebi filijs appositissimè dixeris, (Illustrissime Domine) idem quod de *Practica Morali : luce indignus, vtpote inferni inter tenebras fabricatus.*

Cantent igitur Galli suauissimis, tùm disertissimis, acutissimisque accentibus resonantes modulos *Catholicæ Querimoniæ.* Nuntient te illuxisse solem, *Practicum* increpet & somnolentos quoslibet. Qui noctis *Theatris* Te Authorem crediderant, & dicant ex Divo Chrisostomo Homil. 70. *Si quis solem tenebrarum Authorem existimet, soli ne, an sibi detraxit? Videlicèt ipsi, cum furiosi, & insanientis opinionem assequatur.*

Cantent relegatã per te esse noctis *Practicæ Moralis,* & *Spiritus Monsiur de Arnauld* phantasmata sub specie *Theatri* falsis imaginibus illudentia.

Discedat omne lubrium
Phantasma noctis exulet.

Cantent Galli partos per *Catholicam Querimoniam* triumphos: *Proximé* (aiebat Plinius nuper relatus) *gloriam sentiunt ::: quod si palma contigerit, statim in victoria canunt.*

Cantent denique gloriam Tibi (Illustrissime Domine) & tuo fœlicissimo influxu erecti vocem exultationis, & salutis emittant. Et, si Gallos soli sacratos esse putabat antiquitas, (Natalis *lib.* 5. *cap.* 17.) omni iure Tibi devoto animo Jesuitæ, sed præcipuè Galli perenniter gloriam decantabunt.

Ergò denique, vel *Catholicam Querimoniam* non doleat Doctor Arnaldus per Catholicos Gallos decantari; vel Basilisci metu laborare fateatur.

DISSECTIO V.

SErò tamen optionem hanc damus Doctori Arnaldo, quando Personam *Practici Moralis* induens omnia pene Basilisci officia expleuisse conspicimus. Basiliscus enim, non

non occidit hominem ipsum videndo, sed per spiritus pestilentes, per oculos egredientes, & tangentes hominem. Notat Abulensis *Numeror. 2. tom. cap. 21. q. 11. Basiliscus est animal pestiferum valde, ex cuius oculis spiritus quidam egredientes, usque ad hominem perveniunt, eum corrumpentes, atq; illicò occidentes.*

Non aliter *Spiritus Monsiur de Arnauld*, vel sit ille quem edidit Petrus Jerieu ex *Practica Morali*, vel sit iste, quem nunc ipse profert Arnaldus intendit honorem perimere Societatis Jesu; ergò, vtcumque sit Basilisci naturam æmulatur.

Quid vltra? *Creditum quoque ex equo occiso hasta, & per eum subeunte vi, non equitem modo, sed equum quoque absumptum*, scripsit Plinius *lib. 8 cap. 21.* & notavit Ælianus *de animal. lib. 2. cap. 6 & si Baculum, ait, quem quispiam teneat, momorderit, baculi Dominus necatur.*

Distrinxisti pro tua Authoritate, & munere (vtrique enim satisfacere intendis in oratione tua, §. 2. n. 2. *Non in vos, nec pro me, vt Personam Privatam ago, sed pro Ecclesia, & pro Religione.* Et paulô post: *Si enim maledixisses mihi, Iurieu, vel tù Moralis Practice, sustinuissem utique, ac dimitterem, quantumque offendisses; sed vt proborum, atque improborum scandalo occurramus, cum omnibus simus in exemplar, agamus, quo, per officium Publicam Personam, opportuna nunc est, & necessaria nobis austeritas, & pia sævitia.* Et conclusisti ex Divo Hieronym. *Nec est crudelitas, sed pro Deo pietas.*

Distrinxisti, inquam pro tua Authoritate, & munere Baculum, tibi in consecratione datum, vt *sis in corrigendis vitijs piè sæviens.* Vsus es eo in doctrina Catholicę Querimoniæ ad correptionē maledicorum. *Adhùc per Baculum doctrinæ authoritas intelligitur. Hac enim infirmi sustentantur, inquieti corripiuntur.* Scripsit Durandus *in ration. lib. 3. cap. 15 n 1.*

Baculus in infimo extremo acutus est, vt pro opportunitate pungat; notat post Durandum Barbosa *de offic. &*

potest. 1. p. tit. 1. cap. 5. n. 13. vt Baculus quasi lancea adversus impios vibrari possit. Vibrasti eum adversus *Iurieu*, *&* *Practicum Moralem*. Sed ecce *Practici* Personam ipsam vltroneus sustinet Doctor Arnaldus, & Baculũ mordet, & parat per Catholicam Querimoniam virus transfundere in te Illustrissime Domine.

Primó enim temere proponit â iustitiæ tramite Te deflexisse, & nec legisse, nec vidisse *Practicam Moralem*, & ita immeritó, & ad meram Iesuitarum suggestionem eam damnasse. Sed quo probat argumento? Nullo alio vtique, nisi quia abinitio intellexisti *Practicæ* Authorem fuisse *Iurieu*; postea veró comperuisti, quod *Iurieu* minimé, *Practicã Moralem* conceperat, nec ediderat, sed tantummodò libellum inscriptum *Spiritus Monsiur de Arnauld* (vt scribis in *Præfatione orationis ad Sanctissimum*, § 4. Vbi postquam etiam librum vtrumque anonymum esse supponis, ita prosequeris: *Quisquis veró viperini partus* (scilicêt Practicæ Moralis) *Author sit, & origo, ex eo tùm alij passim hæretici, tùm maximé Bayle, & Iurieus venena hauseiunt.*

Optima argumentatio! Subtilis morsus! *Nescisti*, Illustrissime Domine) *nomen practici Moralis*; *ergo non vidisti Practicam Moralem*; hocce enthymema elicitur ex sua super hoc diffusissima ratiocinatione.

Sistat gradum parumper Arnaldus, & videbit suam argumentationem illusam. Vterque liber, scilicét *Practica Moralis, & Spiritus Monsiur de Arnauld*, sine Authore editus est. Nemo tenetur divinare, vti dicunt consulti per legem *si Putator. 31 ff. ad leg. Aquiliam*, ibi: *Nam culpa ab eo exigenda non est, cùm divinare non potuerit*; ergô mirùm nó est te intellexisse, esse *Petrum Iurieu* Authorẽ *Practicæ*, quæ idem continet circa diaffmationem Iesuiticæ Religionis, quod continet *Spiritus Monsiur de Arnauld*; sed cognovisti postea, alium esse *Practicæ* Authorem, licet tibi incognitum. An inde infertur, te non vidisse, nec legisse *Practicam Moralem?*

Vidisti,

Vidisti profectò eam in se, & in *Spiritu Monsiur de Arnauld* eam referente, *quia relatum continetur in referente cum omnibus suis qualitatibus*, iuxta Iurisperitos per *legem asse toto, ff. de hared. instit. l. si ita scripsero, ff. de condit. & demonstrat.* Brunor. á Sole *in locis commun.* verbo *relatio*, Sebastian de Medicis *de reg. iur.* 10 *n.* 7.

Vidisti igitur, & statim Authorem incognitum visu interemisti; vtpotê Basiliscum, qui ab homine prævisus emoritur. Notat Laguna *in Comment. ad Plinium, Histor. natur. lib.* 8. *cap.* 21. Ergô non suggestione, nec relatione ductus in *Practicam* perorasti.

Sed demus; mera tantummodò relatione (quod falsum est) in maledicentissimam *Practicam* invehi pro te, & pro Jesuitica Religione; adhùc prudentissimam, & iustam invectionem quisque Catholicus censebit. Quippê satis est te huiusmodi petulantiam ex auditu cognoscere.

Non ne ita Eximius, & nunquam condigne laudatus D. Solorçano bellum in anonymum inivit? Audiatur *tom.* 1. *de iure Indiar. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 48. ibi: *Alacrior ad hanc pugnam capessendam insurgo, quoniam audio in his vltimis annis librum quendam sine Authoris nomine per vulgatum esse, de his Indicanæ dominationis iuribus plura tractantem, cui titulus est: Mare liberum; cuius copiam hucusque nancisci non potui; nam in extremas istas mundi plagas rarò similes libri perveniunt, & huius nundinatio, & relectio per Sanctæ Inquisitionis Officium interdicta videtur, vt constat ex vltimo indice librorum prohibitorum anno* 1612. *pag* 77. *Nimirùm, quia vt à viro docto, & pio, qui Hispaniæ ante prohibitionem illum legit, accepi, hæretici Authoris manum, & ingenium redolebat.*

Pro accepta scilicêt eiusmodi sectariorum in verecundia, qui nullam veritatis, aut decoris in suis doctrinis afferendis, & adstruendis habentes, quidquid in buccam venit affirmant, & contumelijs, & in iurijs magis, quam rationibus certant. Et prosequitur, cum impugnans per plura capita. Ergó satis erat, quod ex constanti & indubitabili auditu, & si eum

non perlegisses, tibi *de Practicæ* nequitia innotesceret, vt adversus eam Præclarissimo Nomini Tuo consuleres, cui *Theatrum Iesuiticum* imputabat.

Consuluisti profectò; & simul liceat verbis vti sapientiæ, cap. 10. *Iustum*, id est Societatem Iesu, *à peccatoribus liberasti, & attulisti potentiam adversus eos, qui eum deprimebant, & mendaces effecisti, qui maculaverunt illum :: populum iustum, & semen sine querela liberasti à nationibus, quæ eum deprimebant.* O eloquentiæ Tuæ vis Sacro Spiritu Sapientiæ potenter excitata!

DISSECTIO VI.

ARguit Arnaldus, Illustrissime Domine; cur in editione primi tomi *Practicæ Moralis*, in qua Te *Theatri Iesuitici* conditorem author laudavit, non proclamasti? sed post 14 annos quando edita est *pars secunda*.

Frigidum sanè dubium: eo quod Sacrarum litterarum exemplo, facillimo negotio evanescit: *Quadraginta per dies exprobravit Goliath*, non clam, non inter suos, sed in facies Exercitus Israelitici; *stansque clamabat adversus Phalangas Israel :: Nunquid non sum Philistæus? Ego exprobravi agminibus Israel hodie, Reg. 1. cap. 17.*

Nemo Israelitarum huiusmodi petulantiæ ignorantiam potuit affectare: *Audiens autem Saul, & omnes Israelitæ sermones istos.*

Aderant, vt refert textus in castris Militiæ nomen dantes Eliab, Abinadab, & Samma Fratres David, qui tam insolentis Monstri arrogantiam poterant Patri suo denuntiare. Prope valdé erat ad belli campale Theatrum oppidũ Bethleemiticum, Abulensis *dict. cap. 17. q 14.* ad quod terrificæ novitatis enarrationẽ statim pervenire potuisse credendum est.

Quomodò ergó tanto temporis intervallo Gigantis ausus maledici Davidem delituerant? Delituerunt timen-

quis

quis inficiabitur? Vſque cùm David ipſe proſpexit eum, & audivit & tunc militibus etiam referentibus tumidam comperuit Philiſthijm laceſſentis audaciam, ibi: *Cumque adhùc ille loqueretur eis apparuit, vir ille ſpurius aſcendens Goliath nomine::: & loquente eo hæc eadem verba audivit David, & dixit vnuſquiſpiam de Iſrael: num vidiſtis, virum hunc qui aſcendit? ad exprobrandum enim Iſraeli aſcendit.*

Quid ergo mirum, quod ſecunda pars *practicæ moralis* Te, Illuſtriſſime Domine, diuturno tempore lateret, in Regnis exteris excuſſa; & ad Hiſpanias adventare prohibitus liber, cuius commercium, etiam in hęc regna introituſus nũquam permitti poterat, ex defectu nominis Autheris ſui & ex ipſa materia?

Conſtitit tandem Tibi *ſecunda pars, & vltima practicæ moralis* quemadmodum Davidi pars vltima procacitatis Philiſthęi, ſtatim accinctus es ad bellum, imo ad victoriam, contra eum, & contra *Iurieu*, qui in libello *Spiritus Monſiur de Arnauld* arma ipſius Goliath referebat. Tunc comperuiſti ex fidedigna relatione primam partem *Practicæ Moralis* eijſdem delirijs laborare, quę omnia ſatis apertè indicat *Catholica Querimonia*; initium perlegat Arnaldus, Ibi: *Ad manus noſtras noviſſime pervenit libellus quidam parvus corpore, ſed malitia Gigas.* Perlegat; nec iterum hallucinetur: quod ſœpius accidere poſſe Arnaldo non eſt diffitendum, Aſpidis enim natura facilis eſt in hallucinationem; *Hebetes enim habet oculos.* Textor *in officina. Tom. 1. tit. Serpentum nomina* verbo *Aſpis.*

DISSECTIO. VII.

Vellicat Arnaldus *Catolicam Querimoniam*, intendens inanem eſſe, & minime ſuaſſoriam; & alibi: Tuo Nomine indignam autumat, nec vllam Tibi gloriam peperiſſe,

Quod verò pro huiuſmodi morſu in fingendo mediũ arripit? Illud nempe, quod non reſpondes ad ſingula, quę in *Theatro Ieſuitico* referuntur.

Mor-

Morsus hic penitùs in casum iactatur, eliditur enim si respondeat Arnaldus. Extricavit ne Divus Paulus Ethnicorum Fabulas; cum perveniens Athenas *Incitabatur spiritus eius in ipso videns, idolatriæ deditam civitatem?* Actum Apost. cap. 18. n. 12.

Confutavit ne tot Deorum inanium catervam, & si superstitionibus vndique innodatos cerneret? Minimè; sed tantummodò verù n Deum prædicavit: *Præteriens enim, & videns simulacra vestra inveni, & aram, in qua scriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.*

Incepit à creatione *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eis sunt, &c. Hic Cæli, & terræ cum sit Dominus, in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus, sicut, & quidam vestrorum Poetarum dixerunt: ipsius enim, & genus sumus.* Attendat Arnaldus: Divus Paulus deliria illa Poetarum tangit, vt à cœcitate revocet Athenienses, & tamen ea refellere omissit. & ad assumptum transijt! *Genus ergò cum simus Dei non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapide sculpturæ artis, & cogitationis hominis: Divinum esse simile.*

An forté inefficax fuit Pauli prædicatio, quia nihil dixit circa Poetarum nugas, qui Iovi omnium creationem tribuebant? Nutritum ab apibus. Omnipotentem Incognitum.

Virg. lib. 1. Æneid. — *Iupiter alme; tuo sunt omnia munere nata.*
Diva Parens tellus; praexcelso vertice montis
Et maria, & quidquid Cælum amplectitur altum

Georg. lib 4. — *Nunc naturas apibus, quas Iupiter ipse.*
Adidit expediam

Æneid. lib. 1. — *Cæli Regem pavere sub antro*
Sed Pater omnipotens speluncis abdidit antris.

Com *lib. 2. Mitholog. cap. 1. pag. mihi* 105.
O Iupiter mortalibus non cognite
Quis sis?

Ecce Apostolus in his refellendis prætermissit diludia fa-

facere. Quid ni! Prædicans resurrectionem mortuorum, quam omnino aspernabantur, & *quidam quidem irridebant*, solummodó campis Elysijs fidem adhibebant.

Virg. lib. 6. Æneid.

Ergò exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: alijs sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patimur manes: ex inde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arva tenemus.

Nihilominùs vt resurrectionis fidem induceret, nihil de fabulosis Elysijs eloqui iudicavit. Rursus idololatriam omnino evertens, nihilominùs in illa Ephesina seditione, quam super Dianæ templi ædificatione concitavit Demetrius adversùs Paulum *Actuum cap. 19. Videtis, & auditis, quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ, Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens: quoniam non sunt Dij, qui manibus fiunt. Non solùm autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire; sed & magnæ Dianæ Templum in nihilum reputabitur; sed & destrui incipit maiestas eius, quam tota Asia, & Orbis colit. His auditis exclamaverunt ira, & exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum.*

Nonne hæc somnia sprevit, & omittendo conculcavit Apostolus prędicans Evangelium per totam Græciam? Immó scribens ad Timotheum *epist. 1. cap. 1.* Non monuit, vt in eis fabulis sigillatim extricandis Pastorale munus, exerceret; sed generaliter. *Rogavi, vt remaneres Ephesi, cùm irem in Macedoniam, vt denuntiares quibusdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis*; illumque instruens in prædicandi officio Sermonis materiam suggerit, scilicèt legis intimationem adversùs impios, mendaces, &c. Et illud commendat. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere.* Et in *epist. 2. cap. 4.* Licet fabulis suis impios illaqueandos prænuntiat; *ad fabulas autem convertentur*, earum solutionem exhortari prætermisit, sufficiens sine dubio reputans

mandatum illud *Tu verò vigila; in omnibus labora; opus fac Evangelistæ; ministerium tuum imple.*

Vigilasti ergò (Illustrissime Princeps) nam, & Nomen tuum innexium detexisti á *Theatro Iesuitico* iuxta Apostolicum monitum ad Romanos: ad eundem *Timoth.* 1. 3. *Oportet autem, & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt, vt non in opprobrium incidat.* Invigilavit in hoc Apostolus 2. ad *Corint. cap.* 13. 6. *Spero autem, quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi.* Ad huiusmodi curam Divinum Consilium nos excitat *Ecclesi.* 41. 15. *Curam habe de bono Nomine.*

Laborasti pro Societate Jesu calumnijs suis compatienti animo associatus, vt eam vindicares, & penitùs in TE Apostolicæ, & Episcopalis Charitatis lumen irradiaret, vt ad *Corinth* 2. *cap.* 11. *Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur? Et ego non vror?* Opus fecisti Evangelistæ, annuntiasti enim gaudium magnum Societati Jesu: *lætabitur enim iustus cum viderit vindictam.*

Vindictam Catholicam eo modo districtam, quo docet Divus Basilius *Epist.* 65. *Ad calumnias tacendum non est, non vt contradicendo nos vlciscamur, sed ne mendacio in offensum progressum permitamus; aut eos, qui seducti sunt damno inhærere sinamus.*

Vindictam curativam; id enim opus est Evangelistæ Matth. 10. *Infirmos curare.* Vnde cùm vt ait Divus Anastas. Apolog. 1. *Calumnia est clava, & gladius, & iaculum incurabile, vt ait Salomo. Sed his veritas mederi potest, quæ vbi negligitur acerbiora fiunt.* Cui consonat Aulus Gelius *lib.* 8. *noctium Atticarum.: Veterem ferendo iniuriam invitas novã:* saluberrimo Catholicæ Querimoniæ pharmaco, eloquentia, & veritate penitus delibuto, Societatem curasti.

Ministerium tuum implesti, quod inter alia præsignavit Apostolus ad *Timoth.* 1. *cap* 4. *Ineptas, & aniles fabulas*

de-

devita: exerce autem te ipsum ad pietatem. Inde fabulas negligens, erga temeipsum pium, & erga Societatem Iesu lubenter exhibuisti. *Ministerium tuum implevisti.* Nam Principum est calumnię morsibus oppressos liberare Iustinianus *in proemio instit.* ibi: *Sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellere.*

Sapiens Rex Ildephonsus *in l. Hispan. 3. tit. 9. part. 7. Otro si facen muy grande tuerto al Rey, los que fazen tal atrevimiento* [ideſt] *magnam etiam iniuriam in Regem cõmittunt, qui talem audaciam perpetrant*, nempé calumniandi. Cui adstipulatur, quod refert Tacitus de Augusto Cæsare apud Herodium *lib. 6 rerum iudicatarum*, ibi: *Tractavit hanc cognitionem specie legis Maiestatis commotus Cassij Severi libidine, qua viros, fœminasque illustres procacibus scriptis diffamavit.* Et addit Ennodius: *Specie legis Maiestatis, hoc est eo ordine quo de Maiestate agebatur.*

Quinimo adeò ad pium Imperatorum officium leges civiles spectare putarunt, Ecclesiasticorum iniurias vlcisci, vt præventum est in textu, *in l. si quis, C. de Episcopis, & Clericis. Atque ita Provinciæ moderator Sacerdotum, & Catholicæ Ecclesiæ Ministrorum iniuriam capitali in convictos, seu confessos Reos sententia vindicabit. Nec spectabit, vt Episcopus iniuriæ propriæ vltionem deposcat, cui Sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit.*

Ministerium tuum implesti; Ministerium Pontificis in vindicandis calumnijs Societati Iesu oppositis, adinstar Gregor. 13. in Bulla *Ascendente Domino*, anno 1584. Vbi de Societate Jesu, ibi: *Eos autem, vt firmiorem nobis opem ad prædicta navare possint, ab omni non modò iniuria, sed etiam calumnia studemus intactos conservare.*

Ergò vndequaque *Catholica Querimonia*, in qua spretis adversariorum fabulis à calumniatorum tenebris ingenij tui præclarissimo lumine Societatem liberasti æternum *Nomini Tuo* paravit monimentum.

DI-

Irradiavit tandem Doctori Arnaldo veritas: nam in *Catholica Querimonia* Mathematicâ demonstratione induxisti Te intra quinqueniũ post professionem vacare minimè potuisse *Theatro Iesuitico*, & ad hanc pessimam occupationem immaturâ ætate, & litterarum assiduis exercitationibus fore præpeditum. Contra quod tentavit adhùc Arnaldus præcoci ingenio tuo inter has litterarum, & temporis pressuras compatibilem esse *Theatri Iesuitici* compositionẽ. Fatemur libenter id, quod & Ovidius cecinit.

Cæsaribus virtus contigit ante diem.

Ingenium cæleste suis velociùs annis surgit.

Otalora *de nobilitate*, 5. *p. princip. cap. vltim. sub n.* 20. *Sunt enim* (ait) *ad plurimum industriosi, & ingeniosi*, cuius ethologiam tradit statim: *Subtilis, & clarus sanguis, quo nobiles ad plurimum abundant subtiliores procreant in eis spiritus, vt dicunt Philosophi.* Sed hæc in Nobilibus ætatis miracula non in malum patrantur: natura enim eis inditum est (ipse ait Otalora ibidem) vt virtutibus præpolleant moralibus: & inter eas ::: *Circũspecti sunt, & aliorum honorativi: neminem despiciunt virtuti deditum.*

Ergò clarissimorum Natalium Tuorum lumine ductus perpêndere tenebitur Arnaldus, nec in tenera ætate ingenium sine virtute in Te irradiare potuisse, vt Societatem Iesuiticam carperes.

Quod etiam morali, & ad hominem inductione demonstrasti. Nam Te omnium virtutum stemmate vbique refulgentem prædicat *Practicus Moralis*, tùm in statu Religioso, tùm in culmine Episcopatus Oxomensis, Placentini, & Malacitani: quod certò certius est; & adversariorum ipsorum voce, & scriptis vtique firmatum: *Illud* (enim aiebat Hieronymus ad Pammachium) *verum est testimoniũ, quod ab inimica voce profertur.*

Ex quibus proculdubio re maturiùs perpensâ, tandem di-

dicit Arnaldus, se fidem præstare tuę assertioni in eo, quod Author non steteris *Theatri Iesuitici*. Nihilominùs intendit huiusmodi libri fidem, licet ex hoc capite, diminuta sit non abolitam esse, censendum esse: cum post *Tuam Catholicam Querimoniam*, cicumlatum sit, *Theatri* Authorem esse Dominicanum *Patrem Magistrum Ioannem de Ribas*, *unde* (ait Arnaldus) *quod Iesuitæ dicunt, & Vestra Illustrissima Dominatio ex eorum suggestione scribit contra Theatrum Iesuiticum, & eius Authorem, nihil aliud continet, quam vana verba, quia dummodò non probent falsas esse historias, eis fides adhibenda est, relatis per istiusmodi Religiosum Sanctissimæ Religionis.*

Ergò tandem illuxit dies; & qui somniabant *Theatri* libellum â te esse compositum, ex quo arma arripiebant, contra Jesuitas, *dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt in manibus suis.*

Nihil prorsus; non modo de Te; vti iam ipse fatetur Arnaldus: sed nec de isto Reverendissimo Magistro, nec de historijs, nec de necessitate refutationis, sed per singula percurramus.

Non de Reverendissimo *Ribas*. Nam præterquam quod Arnaldus assentit (nec vllus diffitetur, fuisse doctissimum Magistrum omnigenæ litteraturæ laureâ decoratum, & Religiosissimum) vir erat profectô liberę eloquentiæ, sed non detractoriæ. Accomodet nobis eius ingenij colores Quintilianus. *Eruditio in eo mira, atque libertas, atque inde acerbitas, & abunde salis.* Dixit *Oratoriar. lib. 10. cap. 1 pag. mihi* 593.

Magisterij nomen implevit, iuxta id Boetij *de disciplina Schol. Eruditus, mansuetus, prout opportunum est rigidus, vt lites dissolvat, oblatrantes remordeat, oblcquentes reprimat.* Ergô á Religioso Viro, & Doctissimo Magistro aliena prorsùs est satyra *Theatri Iesuitici*, cuius materiæ vilitas omni testimonio carentis, nec ethnicum decebat. *Persequi quidem, quod quisque vnquam, vel contemptissimorum hominũ,*

dixit

dixerit, aut nimiæ miseriæ, aut inanis iactantiæ est; & detinet, atque obruit ingenia meliùs alijs vacatura. Nam qui omnes etiam indignas lectione schedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam potest. Quintilianus Orator *lib. 1. cap. 8.*

Alienum quidem â Viro probo, precipué fingendo libros, & Authores, dicat ipse Orator. *Quod evenit præcipuê in fabulosis, vsque ad deridicula, quædam etiam impudenda. Vnde improbissimo Viro cuique pleraque fingendi licentia est, adeò vt de libris totis, & Authoribus, vt succurrerit, mentiatur tuto, quia inveniri, qui nunquam fore non possunt.* Ecce veluti depictum tradit Quintilianus indolem Authoris *Theatri Iesuitici.* Et quis non videt Religiosissimo Magistro non cõvenire picturam? Ergò non ille, sed *Inimicus homo id fecit,* sed quis? Niger quidem moribus indigitatus per Horatiũ, 1. *Serm.* 4.

.... Solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest: commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc, tu Romane, caveto.

Inimicus homo: Neutiquam veró Religiosus Dominicanus; nam quę prima impiorum ictus perpessa est Religio, quomodo non semper contra impios ausus Iesuiticis impertiretur auxilium, vt aliás Poeta.

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Id iniunctum est studium, & munus Religiosis Dominicanæ honorificentissimæ Familiæ per Reverendissimos Generales, quibus quàm bonum, & quàm iucundum visum est, Religiosissimos Patres Domicanos, & Iesuitas *habitare in vnum*, id est (cum Lira loquamur *Psalm.* 132.) *in vnum per concordiam charitatis* Patet ex encyclijs Epistolis Reverendissimorum Generalium; in quibus ita in Iesuiticam, & Dominicam Religionem charitatis emittitur influxus, vt per omnes Provincias diffundatur *sicut vnguentum in capite*: ita vt quamvis in re ex vtraque Religione

dú-

duplex emineat Ecclesiæ mons, vtrumque æquali adeô gratiâ prosequuntur Reverendissimi Generales; vt eodem rore videantur fœcundati, *sicut ros Hermon, qui descendit in Montem Sion.* Vbi Lira: *Vnus mons multùm distat ab alio: sed idem ros in specie, & in qualitate suavitatis, & fœcunditatis descendit super vtrumque montem.*

Id videre est in Epistola Reverendissimi Patris Magistri Generalis Ioannis Baptistæ de Marinis, quam refers, Illustrissime Domine, in *Catholica Querimonia*, §.6.n.3 pag. 116. Liceat enim in medium proferre clausulam Tuam, siquidem

Horat. in art. *Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.*

Nihil enim (ais) *Tàm charum fuit Reverendissimo Patri Ioanni Baptistæ de Marinis, totius Religionis Magistro (sub cuius disciplina, & subditus, & Prælatus semper militavi, & à quo suavitatis hausi desiderium) quam Societas Iesu, nec eius animo quidquam altiùs inhæserat, quam erga eam fraterna charitas. Et vt verè totius Religionis Prædicatorum amantissimus Pater, in omnes alumnos voluit diffundere sui amoris spiritum, litteris encyclijs ad totum Ordinem missis, quibus annuntiat salutem ab eo, qui fecit vtraque vnum: & incipiunt hisce verbis: cum Templi velo diviso indivisam Iesu Tunicam, &c. Datis Romæ die 25. Mensis Martij 1661. Vbi commemorat quantùm semper curaverit nostra Prædicatorum Familia, ne illa differentia, quæ merè speculativa est, & solùm in intellectu insidet, & præcisè in disputationibus versatur, in voluntatem illabatur, & charitatem, ac vnitatem practicè scindat, ac dissociet. Ideò in memoriam revocat ordinationes, ac statuta Generalium Capitulorum nostræ Dominicanæ Familiæ ad hæc tendentes, ac in prædictis litteris refert admonitionem quartam Capituli Generalis Valentini, anno 1596. Nec non Romani 1644. Ordinationem 21. & rursùs etiam Romani 1656. confirmationem decimam, in quibus omnibus nihil strictiùs præcipitur, quàm benevolentia, & vera amicitia inter vtriusque Religionis professores.*

Evin-

Evincitur ergò prorsùs repugnare Religiosis Dominicanis vllam charitatis in Iesuitas vulnerationem; præcipué, quæ huius Sacræ Familiæ adeó lęthaliter percuteret honorem; nec præsumi aliter potest, nisi temerario ausu. Nefas enim esset tot legibus suę Religionis effractorem Virum Bonum, & Sapientem Magistrum existimari.

DISSECTIO IX.

SEd dicit Arnaldus Epistolam pręcitatam à V. Illustrissima Dominatione, non modò non probare assumptum; imò contrarium: cùm scripta sit anno 1661. sex, vel septem annis post *Theatrum*. Vnde sillogizat: *exhortatio ad vnionem, & charitatem: facta est anno 1661. ergò ea carebant anno 1654. quandò propalatum est Theatrum Iesuiticum.*

Consequentia omnino cœca; quæ vt pœnas luat, & incidat in foveam, quam fecit, explicet ambiguitatem Arnaldus. Quid sibi vult, *ergò ea carebant?* Si loquitur de exhortatione expergiscatur, & videat idem ordinatum anno 1644 in actis Capituli Generalis annis decem *ante Theatrum*. Et 1596. quinquaginta & octo *ante Theatrum*; perlegat clausulam tuam.

Et si altiùs visum emittere mavult, reperiet, quod ab incunabulis Societatis Iesu eadem exhortatio â Reverendissimo Patre Magistro Generali, tunc Fr. Francisco Romeo, indicta fuit vltra sęculum ante *Theatrum*, nempé in Epistola ad Ordinem data Romę 15. Decembris, anno 1548. Ergò *ea non carebant anno* 1644. Ergò temporum scrupulosa computatio recidit in Arnaldum, vt dicamus cum Alciat. in Emblem.

72. tit. in- *... ò res digna : alijs, qui fata parabat,*
sta Vltio *Ipse perit, proprijs succubuitque dolis.*

Si loquitur de vnione, & charitate, ergò *ea carebant anno* 1654. Consequentia hęc inuri debet, vt crassa, supina, &

& temeraria. Neminem enim vnquàm latuit huiusmodi litteras paræneticas esse, vtpotè ad observandam charitatem erga Jesuitas Dominicanorum animos hortantes, admonentes, & stimulantes; exhortatio autem non supponit carentiam virtutis, sed virtutis motum exercet.

Ovid.2. Ponti. *Ergò, quod fuerat stimulis factura sine vllis*
Plenius Anthorem te quoque nacta facit.
Acer, & ad palma per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortiùs ibit equus.

Ergò quod factura erat Dominicana Religio sine vllis stimulis, plenùs facit exhortatores habens Reverendissimos Generales: imò, & laudatores.

Ovid. Trist. *Nec te credideris, quia non facis ista, moneris*
Vela damus, quamvis remige puppis eat
Qui monet, vt facias, quod iam facis, ille...
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

Quod si plura cupiat Arnaldus, legat Senecam. *Non docet admonitio, sed advertit, sed excitat, sed memoriam continet, nec patitur elabi:* Præceptum iam erat ex anno 1548. de observandâ omnimodâ dilectione, & concordiâ, accessit ad id iterata admonitio: *Quæcumque salutaria sunt, sapè agitari debent, sapè versari* Senecæ est sententia, vt & postea recitandæ.

Quis non videat talibus litteris excrescere fructus mutui amoris, & inflammari charitatis ignem. *Omnium honestarum rerum semina animi gerunt, quæ admonitione excitantur, non aliter quā scintilla flatu levi adiuta ignem suum explicat. Erigitur virtus cum tacta est, & impulsa.*

Nunquam veræ concordiæ, & reciprocæ dilectioni defuturos Religiosissimos Dominicanos, excogitari poterat; amabant invicem Jesuitas, sed Reverendissimorū Generalium admonitionibus dilectionem roborarunt. *Duæ res plurimùm roboris animo dant fides veri, & fiducia: vtramque admonitio facit. Nam, & creditur illi, & cum creditum est, magnos animus spiritus concipit, ac fiducia impletur: ergò admonitio non est super vacua.*

 Non

Non modò roborarunt, sed id effecerunt, vt vtraque Religio Dominicana, & Jesuitica, & felicitate, & fraternitate, & amicitia prorsùs præpolleant. *Marcus Agrippa vir ingentis animi, qui solus ex his, quos civilia bella claros, potentesque fecerunt, fœlix in publicum fuit: dicere solebat multum se huic sententiæ debere: nam concordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Hac se aiebat, & fratrem, & amicum optimum factum.* Hæc omnia suggerit nobis laudatus proximé Philosophus *epist.94.*

Quod si sacram volueris authoritatem ad consequētiæ suæ confutationem, dabit Divus Hieronymus *in Commentarijs in epist. ad Galatas lib 3. cap.6.* Vbi scribit, non alium in vltima senectute Divum Joannem Sermonem, repetere: quam hunc *Filioli, diligite alterutrum.* Anne quia mutuâ dilectione carebant? Minimé. Vnde discipulis objjcientibus. *Magister, quare semper hoc loqueris? Respondit dignam Ioanne sententiam: quia præceptum Domini est, & si solúm fiat, sufficit.*

Exhortatoriæ igitur epistolę nequaquàm supposuerunt carentiam charitatis, sed ad eam stimularunt, quinimò suppositam charitatem in Dominicanis essentialiter auxerunt erga Jesuitas per intensionem, per quam suum recipit charitas incrementum: Divus Thomas 2. 2. *q.24 art.5.* Ergò consequentia *ea carebant* est irrationabilis, & omnino falsa. Est etiam temeraria, & iniuriosa. Nam si neminem iura malum præsumi patiuntur, nisi probetur; quo modò Religionem Dominicanam ante annum 1661. charitate carere, argui potest? ó nefas per hominem charitate carentem tantummodò perpetrabile; cui convenit doctrina Divi Thomæ 2. 2. *q.60. art. 3. Ex hoc, quod aliquis ex se ipso malus est, & ex hoc ipso quasi conscius suæ malitiæ, faciliter de alijs malum opinatur, secundum illud Eccles. in via stultus ambulans, cùm ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Ergò de primo ad vltimum, & Reverendissimi Generalis litteræ & capituli Generalis decreta, assumptum probant scilicêt ne-

nequaquâm per cuiuspiam Dominicani manum, sed manu inimici proditoriâ, inflicta esse vulnera *Thetri Iesuitici*, qui cùm facilior sit percussio, quam sanatio, vt dixit Quintilianus *Orator. lib. 5. cap. 13. Tanto est accusare, quam defendere, quanto facere, quam sanare vulnera facilius:* excogitavit proculdubio medelam defuturam.

Ast hoc extitit eloquentiæ tuę miraculum; vt subdolę facilitati, qua Iesuitæ in *Theatro* percutiebantur, manifestam in *Catholica Querimonia* sanitatis facilitatem opponeres: *lingua sapientium sanitas est*, Proverb. 12.

O Vtinam *Practici Moralis* animus medelę non resistat: sed dum pro eo tot praves affectus indicat Arnaldus suam desperantes mentis valetudinem, id cum Seneca tandem respondebimus. De ira *lib. 1. cap. 16* ibi: *Tibi insanabilis animus est, & sceleribus scelera contexens, & iam non causis, quæ nunquam malo defuturæ sunt, impelleris; sed satis tibi est magna ad peccandum causa, peccasse. Perbibisti nequitiam, & ita visceribus immiscuisti, vt nisi cum ipsis exire non possit.*

DISSECTIO X.

MAnet ergò contra votum Arnaldi, *Theatrum Iesuiticum* inane, & prorsùs fide indignum, & huiusmodi notâ quisque prudens illud indigitabit: *Sermonem sine vllo certo Authore dispersum, cui malignitas initium dedit, incrementum credulitas, quod nulli non etiam innocentissimo, possit accidere, fraude inimicorum falsa vulgantium.* Verba sunt Quintiliani *Orator. lib. 5. cap. 3.* In quibus apprime delineatur libellorum famosorum deformitas, quam similiter describit textus *in cap. 2. de libellis famos. in 7. Decretal.* Vbi Gregor. 13. pœnam infamiæ perpetuæ, & triremium ad tempus, vel in perpetuum in huiusmodi reos statuens; ita crimen proponit.

Ibi: *Secta quadam emerserit hominum improbe curiosorum,*

ſorum, qui quæcunque de publicis, privatisque negotijs, vel aliunde rimari poſſint, vel ipſi etiam pro ſua libidine comminiſcuntur :: ex falſis plerumque vulgi rumoribus, incerto Authore collectos, &c.

Ergò nunc ſplendidior relucet ratio, quare (quidquid vellet Arnaldus) minimé opus Tibi fuit pro ſoliditate *Catholicæ Querimoniæ* tecnis, & fabulis in Jeſuitas ſparſis reſpondere; imô in ſingulis non refutandis Oratoris eximij leges adimplevisti [Illuſtriſſime Domine.] Nam ſi huiuſmodi libellis comes eſt manifeſta, imô parens, falſitas malignitate congenita, nec vllis quidem fulcris, quam improbabili calumniâ innixa propalatur, merâ negatione eliditur. Dicat idem Orator proximé laudatus *in lib.5. cap.13. Nam ſi erit palam falſum, negari ſatis eſt; ſufficit enim, quod adverſarius non probat.*

Vnde egregié in tua Oratione §.2. *n.*9 ad Sanctiſſimum ſcripſiſti: *Nec verò ſingulis reſpondebimus, quæ libello vſque adeò famoſo continentur: tùm propterea, quod noſtri inſtituti eſt præcipuè, demonſtrare impoſturam, quæ ſcelus tantopere deteſtandum nobis affingitur. Tùm quia* (proſequeris verbis Eminentiſſimi) Sfortiæ Palavicini *in vindicijs, cap 2.* Societatis Jeſu priùs alumni.) *Singularia crimina, quæ opponuntur quaſi certis quibuſdam, deſignatiſque temporibus, ac locis à noſtris Sodalibus perpetrata, hac quidem diſputatione refellere nihil attinet: vbi enim de factis contenditur, teſtibus, ac tabulis, potiùs quam rationibus agere oportet: quos vtique teſtes, tabulasque, cùm adverſarij non proferant; ſed ijdem, qui tanquam accuſatores, adeòque inimicitiam profeſſi Societatem aggrediuntur, teſtium quoque ſibi arrogent fidem, nihil opus eſt defenſore.*

Quod ſi recuſat Arnaldus hoc domeſticum teſtimonium, Cœſaris Juliani ſaltem occludatur oraculo relato ab Amiano Marcellino, *rerum geſtar. lib.* 18. *Numerium* (ait) *Narbonenſis paulò ante Rectorem, accuſatum vt furem inuſitato Cenſoris rigore pro Tribunali palam, admiſſis volentibus,*

audiebat, qui cùm insita ratione defenderet obiecta, nec posset in quoquam confutari, Delphidius Orator acerrimus, vehementer eum impugnans, documentorum inopia percitus exclamavit: Et quis (Florentissime Cæsar) nocens esse potest vsquam, si negare sufficeret? Cui Iulianus: Et quis ait, innocens esse poterit, si accusare sufficiat?

Refutasti nihilominù ex abundantiâ charitatis evidentissimis omnium litterarum documentis quidquid adversùs Societatem Iesu blateratum est circa Indicas missiones; in quibus maximè impij exacuerunt linguas, sicut serpentis, quibus Te opposuisti, & Angelici Doct. præstantissimus ęmulator Angelos defensasti; ita enim Missionarios omnes appellat Divus Thomas; quod non nulli, præcipuè de Jesuitis intelligendum esse scripserunt, vt apud eruditissimum Doctorem Solorçan. *de iure Indiar. tom. 1. lib. 1. cap. 15. n. 21. Quæ in expeditione cùm multùm laboraverint Religiosissimi Patres Societatis Iesu :: eis congruere appellationem Angelorum velocium, de quibus loquitur Isaias cap. 15. :: licêt Divus Thomas in opusculo de Religione, Mendicantibus eadem verba Isaiæ optimè etiam, & pijssimè applicet.*

Ergò Eruditissimi Oratoris, Doctoris Sacri, Canonici Scriptoris munus in *Catholica Querimonia* explevisti; *bonum certamen certasti; cursum consumasti, fidem servasti; vnde merito reponetur* Tibi *corona iustitiæ.*

D I S S E C T I O   XI.

OCcurristi providentissimâ tuâ eruditione argumentis omnibus, quę fovere posset adversariorum pervicacia. Probas enim ex Divo Thoma *opusc. 19. cap. 20.* in Catholica Querimonia relato, § 1. *ex n. 6.* quod dato, & non concesso, quod vera essent aliqua, quę privatis Religiosis imponuntur, non inde inclitum, Sanctum, in Ecclesia Dei valdê proficuum Jesuitarum institutum, nulla non vi tutum claritate resplendens, per vnius, seu alterius nebulam de-

nigrari potest: quemadmodùm, nec Apostolicum Collegiũ per vnius prævaricatoris lapsum denigratum est.

Canonica quidem sententia, & iure etiam civili solidata. Crimina enim singularium non intingunt Communitatem, seu Collegium, nisi nomine Vniversitatis perpetrentur ex consilio, & decreto Vniversitatis. Textus *in l. 2. ff. quodcuiusque Vniversitatis nomine*, ibi : *Hic enim pro Republica, vel Vniversitate intervenit, non pro singulis.* Plena manu, Menoch. *de arbitrar. casu* 598. *n.* 4.

Subditorum lapsus humanæ fragilitatis conditioni imputari licet, non verò communitatum Regimini : quod calumniatoribus olim respondit Divus Augustinus *epist.* 137. *ad Clerum, & plebem Hipponensem*, ibi : *Quantumlibet enim vigilet disciplina domùs meæ, homo sum, & inter homines vivo.*

Quæ omnia complectitur illud observandissimum Divi Chrysostomi Oraculum *tom. 1. Homil. de Ozia Rege* Vbi ait : *Cùm videris Sacerdotem indignum, ne traducas Sacerdotium: non enim oportet damnare res, sed eum qui de bono male vtitur, quandoquidem, & Iudas proditor fuit, verùm non ob id accusatur Ordo Apostolicus, sed illius animus; nec enim crimen est Sacerdotis, sed malum animi. Et tu igitur ne Sacerdotium vituperes, sed Sacerdotem male re bona vtentem.*

Ergò si qui Jesuitę aliquando deflexerint, non ideò Jesuitarum Ordo inficitur. Pro vno enim vel altero labente, respiciat calumniantium malitia centum millia. Ad culmina virtutum evectos ; vt ad rem Divus Hieronymus *epist.* 34. *Noli respicere Iudam negantem, sed Paulum respicere confitentem.*

Dicant igitur adversùs degeneres [si qui sunt] Societatis Jesu Religiosos, eos non esse verè Jesuitas; non autem arguant deinde non esse optimum, & Sanctum Institutum: nec veram sugillent practicam moralem totius Religionis laudabilissimam. Non infamatur ars, non Philosophia artificis, nec Philosophi errore; vt perpendit disertus Aristi-

nus Epitecti discipulus . *in comm. ad eundem lib.4. disp. cap.* 8. paulò post initium : *Aliarum artium non secùs comparata est ratio. Si quis securi ad secandum male uti conspiciatur, nemo dicit : Quis usus est artis fabrilis? En quanta faciunt mala fabri! Contra potiùs, sic inquit : ille faber non est, cùm benè uti non possit securi. Haud aliter, siquidem malè canentem audiet, non sic ait : En quam malê canit Musicus! Sed potiùs sic inquit : ille non est Musicus. Istud in Philosophia, una committitur, &c.*

Ergò opportunê, & nervosê [Illustrissime Domine] prosequeris argumentum, dicto §. 1. *n.* 10. ibi : *Dato ergò, aliquem ê Patribus Societatis in particulari defecisse, quomodò tam virulenta iniuria afficitis totum Collegium, & universam Societatem inficitis, quando in hac Florentissima Familia maximê viret inter cæteras virtutes punitiva iustitia, cuius correctionem experitur, qui non ita modeste incedit.*

Ita quidem est, quod de minimis etiam curant Prælati, in quo etiam mordet Hæreticorum invidia, quibus vnica responsio etiam Authoris Ethnici satis est, nempê Cornelij Taciti *lib.*13.*Annal.* qui similem aliàs calumniam ita refutavit : *Ut manifestum fiat, magnarum rerum curam non dissimulaturos, qui animum etiam levissimis adverterent.*

Ex quo maximé elucescit illa, quam annectis, sententia *cuius vigilantia, nec minima dissimulat; ut non senescat primævi instituti rigida observantia, ac splendoris vigor.*

Ergò ex huiusmodi vigilantiâ Societatem Iesu observantissimæ, & perfectissimæ, & laudabilissimæ Communitatis gloriosam nomenclaturam omnino promereri, pervium est; etiam si singularium aliqui probarentur defectus, vt aliás docuit Divus Bonaventura *in opusculo de 6. alis Seraphim, n.1. in fine. In hoc enim differunt laudabiles Religiones, & iam dilapsæ, non quod nullus non peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impunè peccare sinatur, & peccandi aditus studiosè precludantur, & incorrigibiles, & alij præiudiciales eliminentur, & boni foveantur, & diligantur, & in melius semper proficiant.*

Er-

Ergó denique rectè irrationabilitatem adversariorū increpas *dicto §. n. 12. Vos verò titulum ridiculum vestro, & improperanti opusculo imposuistis, alius, Practica Moralis Iesuitarum: alius l. Espirit. de Monsiur de Arnauld omnes dilacerans, omnes discerpens.* Cui nihil iuri, nihil prudentiæ, nihil æquitati, consonum vnquam respondêre poterunt.

DISSECTIO XII.

FVnesti ominis in Societatem *Antonij Arnaldi* nomen' iam pridem enim alius *Antonius Arnaldus* Calvinista Gallus, libellum edidit titulo, *Catechismus Iesuitarum* contra quem Richeamus, & Clarus Bornaccius *lib. 1. cap. 10 & 11. & lib. 3. in Amphitheatro honoris, pag. 243.*

Nunc veró *Doctor Antonius de Arnaldo* etiam contra *Catholicæ Querimoniæ* lumen, scribit veram esse *Practicam Moralem*, & quidquid continet *Theatrum Iesuiticum*. Et huiusmodi Theses in *Catholica Querimonia* propositas esse omnino ab re, & nullo modo applicabiles materiæ *Catholicæ Querimoniæ*, videlicét.

§. I.

Hæretici non solùm Sacris Religiosorum cœtibus, verùm Sacratioribus Personis sunt infesti.

§. II.

Nec dissimulandum, sed hæreticis viriliter respondendum.

§. III.

Mos hæreticorum perpetuus est, vt hæreseos suæ libros Prælatis, ac pijs viris adscribant.

Sed cùm Catholicum se esse profiteatur Doctor Antonius de Arnaldo, mirandum valde est, ita obstinaté defensionem arripere pro *Practico Morali*; quiquidem non secùs, ac *Petrus Iurieu*, suspecti saltem sunt de hæresi: quod si ita est, vt ex suis scriptis constat, & postea inducemus; recogitet Arnaldus textum *in cap. qui aliorum 24. quæst. 3.*

Vbi

Vbi Vrbanus Papa: *Qui aliorum defendit errorem, multò ampliùs damnabilior est illis, qui errant. Quia non solùm errat; sed etiam alijs offendicula erroris præparat, & confirmat. Vnde q ia Magister erroris est, non tantùm hæreticus sed etiam Hæresiarcha dicendus est.* Et ex eo Eymericus *in Director.* 2. *p.* q 55. *n.*1. Pena *in comm.* 77. *a.*1. Sola *in Aphorismis*, *lib.* 1. *cap.*9. *à n.*7. *cum seq.*

Sed quia Doctoris Arnaldi propositio æquivoca est; nec satis intelligi potest, an concedat, vel neget Thesium suppositum, de eius veritate perstringamus; & pariter de opportunitate applicationis; ad quod, licet breviter, *sumam propositiones ab initio.* Statim ad Religiosorum Communitatum ortum primævum subsecuta est in eos impiorum fascinatio; & vsqué adeò excrevit nequitia, vt eos ad militiam extrahendos esse decreverit, vt per textum in *l. quidam ignaviæ; de Decurion. lib.*10. & omittendo Ethnicorũ Imperatorum rabiem in Religiosos: de quà Baronius, *Annal. tom.*4. *ann.*754. *à n.*19. Rufinus *lib.*11. *cap.*3. Socrates *lib.*2. *cap.*17. Optimé nosti (Illustrissime Domine) ex tua in litteris omnibus lectionis assiduitate, quantùm grassatus est in Religiones Vigilantius, adversùs quem Divus Hieronymus: Petilianus, adversùs quem Divus Augustinus: Arnaldus de Villanova, de quo Eimericus *in Director Inquisit.q.*11. Vbi n.2. inter alios errores, illum recenset. *Quartus error est, quod omnes Claustrales sunt extra charitatem, & damnantur, & quod omnes Religiosi falsificant Doctrinam Christi.*

Dulcinus Gerardus, de quo idem Eimericus *q.*11. ait inter alios damnatum esse errorem 13. scilicét, *quod omnes Ordines Religiosorum, & Sacerdotum sunt ad Fidei Catholicæ detrimentum.*

Et vt ad species descendamus: Calvinus, Lutherus, Melancthon, & plures, quos ad rem Jodoccus retulit *tom.* 1. *Thesauri Catholici lib.*4 *de vita Monastica, in Prologo,* Eminentissimus Cardinalis Bellar. *tom.* 1. *controvers. lib.* 2 *de*

 Mo-

Monachis in Proemio. Quæ enim Religio ab hæreticis non impetita est? Religio Sancti Benedicti à Florentio iniquo Presbytero; vt refert Divus Gregor. *lib. 2. Dialog.* 14. Carthusiensis; quam defendit Aenus Robertus *lib. 2. rerum indicatarum, cap. 2.* Dominicana, & Franciscana in tempore Doctorum Sanctæ Ecclesiæ Divi Thomę, & Divi Bonaventuræ, qui eas defensarunt: iste in opusculo peculiari. Circa Regulam S. Francisci *q. 22. & 23.* Religio Clericorum Regularium Theatinorum; vt refert Caracciolus *in Synopsi veterum Religiosorum rituum.*

Deinde contra Iesuiticam Religionem paraverunt sagittas in pharetra, vt sagittent in occultis immaculatos. Quidam Calvino Papista librum edens *de modo agendi Iesuitarum*; alius: *Monita privata Societatis*, tituli prorsùs infamatorij; qui in idem recidunt, ac nefarius liber: *Practica Moralis*; & alijs alia eiusdem maligni furfuris, quæ Illustrissimę V. Dominationi constabunt optimè repulsa per Grethserum *in Stigm. Missenico, in Apologetico ad librũ Calvino Papistæ. Et in Cõmentario ad Satyram Missenicã*, Bonartius *in Amphitheatro honoris:* Stanislaus Restius *in spongia contra Poluanum*: Forerus *in Grammatico Protheo:* Didacus Paiva *contra hæretcos Kemnitium, & Monhemum in tract. de explicat. Ortodox. in præfactione, & lib. 2.*

Ergò cùm *Practicus Moralis, & Petrus Iurieu*, eodem modo Societatem invadant, quo in suis libellis hæretici, non abs re, nec sine applicatione; sed opportunê, valdé, congrué, & adæquatê, dúm *Practicam moralem, & spiritum Monsiur de Arnauld* evertis, Methodicê in §. 1. proponis *Quod hæretici Sacris Religiosorum cœtibus sunt infesti.*

Quæ dilucidior? Quę opportunior applicatio? attendat Arnaldus *ex n. 2.* & audiat Te & applicantem, & rationem applicationis reddentem. *Ipsi enim* (ais) *æquo animo cernere nequeant, nec nisi ægerrimis oculis, tot Sacros fructus, quos Societas Iesu in horrea Domini congregat; quam animosê* in

in hareticos; quam fortiter insurgat; quam fœliciter eos delet. Et postquàm ita nervosé progressus es *n.* 3. expendis illum Divi Thomæ textum ex Divo Iacobo: *Non ne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super nos?* Et ita prosequeris: *Quodnam istud nomen est? Non est aliud, neque in cælo, neque in terra, nisi Nomen Iesu; cui omne genuflectitur. Sub hoc Nomine militat eius Societas, quam vos ita spernitis, ac detestamini: vt contendatis eam eradere de terrâ, vt non memoretur ampliùs. Blasphematis ergò eius bonum Nomen, hoc est eius famam, &c.*

O Princeps disertissime! Dùm enim *Bono Nomine Iesu* insignitam Societatem, vt titulo, seu *Bono Nomine*, vt ornamento virtutum, blasphemari per *Practicam Moralem*, & *Petrum Iurieu* enixé increpas, allusisti proculdubio ad salem Tertuliani *in Apologetico, cap.* 2. *Intelligere potestis, non scelus aliquod in causa esse; sed Nomen, quod quadam ratio amula operationis insequitur.*

DISSECTIO XIII.

Libellos famosos, vtpoté Dœmonis studia, & inventa Sedes Apostolica semper reprobavit; vt per eleganter innuit Alexander IV. *in Bulla*, in quâ damnavit libellum adversùs Religiosissimos Patres Prædicatores, & Minores; quæ est apud Cherubin: *tom.* 1. *Constit.* 8. edita anno 1216. ibi: *Nam & hostis antiquus, argutus quidem, callidusque deceptor animarum.*

Huiusmodi hostis incursibus iam pridém præsensit impetitam esse Societatem Gregorius XIII. *in Bulla, Ascendente Domino*, anno 1584. apud Cherubin *tom.* 2. *Constit.* 89. §. 18. ibi: *Qui Religionis pratextu transfigurante se in Angelum lucis Satanâ.* Et rursùs: *Quæ Societas, quemadmodùm, & alia nascentium Regularium Ordinum exordia à spiritu*

contradictionis impugnatur: cuius rei Sanctorum Dominici, & Francisci præclarissimi Ordines exempla abundè suppeditarunt. Non dissimili voce usus es (Illustrissime Domine) in Tuâ Oratione dictâ Thesi *Hæretici*, §.1.*n*.31. *Spiritus* (ais in Iuricum) *contradictionis, & falsitatis.*

Quæ autem inter Dæmonem,& hæreticos est connexio, iam pridem expressit Simancas, *de Hæreticis, cap*.31. *n*.12. *Hi sunt Angeli primi; hi sunt filij pravitatum à Patre nequitiæ fraudis Authore.* Et Faber prius *adversùs Lutherum tract* 5. *textu* 16.apud Simancas *supra n*. 10. *organa Diaboli appellantur.* Tu verò Illustrissime Domine ex Catherino *Fistulas diaboli, per quas loquitur*, Hæreticos appellas, *dicta Thesi*, §1.*n*.3. Vnde patrem diabolum æmulantur Hæretici Religiosos insectando. Simancas *dict. cap*. 31. ibi: *Sed & Hieronymus in Abdiam, in Isaiam, & alibi sæpê notavit, signum esse certissimum ad cognoscendos Hæreticos, si viros Ecclesiasticos quovis colore insectentur.*

Itaque Novarius *in Summa Bullarum comment*. 83. de libellis famosis *super Bulla Divi Pij* 5.*& Greg*.13.Postquam *n*. 1. pœnam mortis libellorum famosorum authoribus in statu Ecclesiæ impositam esse scribit,ait *n*.2.ibi:

Qui verò contra statum alicuius Religionis in communi famosos libellos confecerit,est de hæresi suspectus.Vnde si quis libellos famosos in vulgari, vel latino sermone, necnon cantilenas rithmos fecerit, contra statum Prædicatorum Ordinis, vel Minorum est excommunicatus, & absolvi non potest,nisi personalitêr se præsentet Sedi Apostolicæ, per constit. Alexandri 4 *quæ incipit: Ex alto: & per alteram incipit Non sine multa, quæ constitutiones extenduntur etiam ad alios Ordines, & Religiones.*

Et licêt nullum perpetrabile crimen sit, quod libellis infamatorijs, vel coæquet proditione, vel attingat malitia, vel superet atrocitate; nam vt aiebat Barclaius *tractat. de Regno,& Regali Potest. lib* 6 *cap*. 16. *Quæ detestabilior immanitas! Quod impius, & nefarius scelus! Quam Illustrium*

Virorum existimationem turpi scripto ad varias Nationes emisso fundere, & violare: Detractor fure peior est, & planè homicida. Sententia indubitabilis; vt quæ per Spiritum Sanctum dictata est, *Prove b. cap.* 18. *Mors, & vita in manibus linguæ.* Cui adhærent iura. Ius enim Canonicum *in cap Homicidiorum de pænitent. distinct.* 1. ibi: *Homicidiorum verò tria esse genera dicebat Beatus Petrus, & pænam eorum parilem fore; sicut enim homicidas interfectores fratrum, ita, & detractores eorum, eosque odientes homicidas esse manifestabat. Quia, & qui occidit fratrem suum, & qui odit, & qui detrahit ei, pariter homicidam esse monstratur.*

Ius Regale Hispanum n. l.4 tit. 13. p.2. ibi: *Dos yerros son como iguales, matar al ome, ô infamarlo.*

Non tamen speciale est adversùs libellorum famosorum Authores, vt suspecti de hęresi habeantur; nam eâdem laborant suspitione, qui similiter necant propositionibus iniuriosis: *Propositio iniuriosa* [ait Delbene *de locis Theologis, p.* 2. *dub.* 168 *est quæ detrahit alicui fidelium statui, illustri Personæ, vel Dignitati, vel Sancto: vel si quis contra Cardinales, vel Religiosos effutire soleat.* Et iudicio subiacet Sanctę Inquisitionis; vt scribit etiam Diana coordinatus *tom.* 5. *tract.* 10. *resolut* 92. *n.* 2. vbi collectanea Doctorum.

Sed nec opus est authoritatibus, dùm extat Sedis Apostolicæ decretum, per quod Sancto Tribunali Inquisitionis commisit, vt ex omnibus libris expurget verba: *Quæ famæ proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum, & Principum detrahunt* Ratio in promptu est, quod attinet ad Ecclesiasticos; quia *sequitur perturbatio, augmentum irreverentiæ, & contemptus Sacramentorum, quæ per eos conficiuntur, vel administrantur.* Dixit Divus Anton *in* 3. *p. tit.* 18 *cap* 4.

Quemadmodùm eâdem ratione pertinent ad Sancti Tribunalis cognitionem *Propositiones scandalosa, quæ* (vt notat Cano *lib.* 1. *de locis, cap.* 11.) *sunt illæ, sive commentitiæ fabulæ, sive narrationes etiam veræ, quibus Monachorum vitia occulta, vel finguntur, vel deteguntur; id quod sine imbecillium offensione fieri non potest.*

Quod

Quod etiam, Illustrissime Domine, prævenisti *dicto* §.1. ibe: *N.5 apud plebeios radices figunt, & mendacia inter insipientes prævalent, ex quo potest oriri, vt Verbum Dei non recipiatur salubritêr; imò infructuosê dissemiuetur:* locutus es ad mentem Divi Hieronymi *in cap.4. Matthæi*, ad illa verba: *Abijt opinio eius, &c. Opera salutis sine fama boni odoris non satis relucent Auditoribus.*

Ergò cùm per libellum *Spiritus Monsiur de Arnauld*, & *Practicum Moralem* decus, & splendor Religiosissimæ Societatis Jesu denigrari intendatur, atro, & hostili libellorum, iniuriarum, & scandalosarum propositionum, & verborum fumo; quis ambiget Te optimâ ratione tanquàm cum hęreticis agendum esse, cum eorum Authoribus proposuisse in prædictis Thesibus *Catholica Querimonia*. Ergò non absre, nec sine applicatione, vt præcipiti motu perpendit Arnaldus; sed á Te parvi pendendo. Nam vt *Cœlestia humanas manus effugiunt, & âb his, qui templa diruunt, aut simulacra conflant, nihil Divinitati nocetur; ita quidquid in sapientem protervè, petulantèr, superbé, frustra tentatur.* Dixit Seneca *de constant. sap. cap.4.*

DISSECTIO XIV.

Frustrá similitér tentat Arnaldus, quod absre, & sine applicatione proposita est 3. *Thesis*, in quâ, & solitâ eloquentiâ, & erudicione convincis; *Morem esse hæreticorum perpetuum, vt hæreseos suæ libros Prælatis, ac Pijs Viris ascribant.*

Quam quidem Thesim super abundanter inveniet canonizatam ex Concilio Romano coram Gelasio; quod refertur *in cap. Rhomma 3. 15. distinct.* ibi: *Cæterum, quæ ab hæreticis, vel schismaticis conscripta, vel prædicata sunt, nullatenus recipit Catholica Apostolica Ecclesia Romana. Ex quibus pauca*

pauca, quæ ad memoriam venerunt, & à Catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda :: Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur Sancti Clementis lib. 8. apochryphum Actus nomine Andreæ Apostoli apochryphi. Et progreditur per libros 12. Apostolis ab hæretiois adscriptos. Et infra: *Evangelium, quod falsavit Tucianus apochrypha*, & recenset alia Evãgelia. & libros Sanctis suppositos per Hæreticos, quos referre valdé prolixum esset. De cuius materiâ eruditê Grethserus *de iure, & modo prohibendi libros malos, lib. 2.*

His artibus Hæretici etiam ipsam Societatem diffamare non semel sunt contecnati: edidisse enim eam finxerunt, infamen librum *Monita Privata*; quorum audaciam compressit Nuntius Apostolicus per suum decretum, in forma Brevis expeditum in Polonia 14. Novemb. anno 1615. ita statuentis. *Cùm insigni labe totius Ecclesiastici Ordinis, impio, & sacrilego conatu sit sparsus libellus famosus contra Societatem Iesu: (Monita Privata) eidem Societati falsò inscrtptum, &c. Nos, & pro singulari affectu erga eundem Religiosoram Ordinem de Catholica Republica optimè meritum, & vt bonæ famæ (quæ plurimùm ad propagandum Divinæ Maiestatis cultum vbique valet) status Ecclesiastici universè prospiciamus*, & prosequitur prohibitionem edicens omnimodam prædicti libri.

Quemadmodùm sequente etiam anno 1616. S. C. Indicis 10. Maij in hæc verba: *D. D. Cardinales decreverunt, præfatum librum (Monita Privata) vtpotê falsò Societati Iesu adscriptum, calumniosum, & diffamationibus plenum, omnino esse prohibendum, prout de facto illum prohibuerunt, & mandarunt, ne cuiquam in posterum licitum esset eum vendere, vel apud se retinere.* De quibus decretis Grethserus *in Apolog. adversùs monita, cap. 1.*

Libros alios erroribus plenos evulgarunt Hæretici eâdem pervicaciâ, quâ Diotimus Stoicus infensus valdè Epicuro istius nomine, vt in eius dedecus cederent, ex de-

depravatâ doctrinâ, multa edidit scripta, vt refert Patritius *de Regno, & Regis instit tit.* 7.

Non alitér imputarunt Patri Joanni Maldonado *Tractatum de Sacramentis.* Divo Francisco de Borja *Catechismum*, & alterum *Catechismum* P. Petro Canisio, & plures alij similitér, qui per Expurgatorios omnino damnati sunt, & declaratum ab hæreticis esse confictos.

Ergò dùm tibi imputabatur *Theatrum Iesuiticum* recté, & induxisti, & probasti huiusmodi hæreticorum morem; ergò non absre, nec sine applicatione; imò nec sine triompho, & optati finis implemento. Nam in *Catholicæ Querimoniæ fronte* illud ostentasti schemma: *Vt muta fiant labia dolosa.* Et ecce quidem muta facta sunt labia *Practici*, & *Patri Iurieu*, neque alia exauditur, nisi vox Arnaldi; cui peccoratu duximus: est ne vox Catholici Doctoris? Ita asseverabit. Agat igitur Catholicam Personam, non cum *Practico* iam muto caliget: non Practici errorem amet *Quid enim refert, an alia mutis dissimilia habeat, si quod in omni peccato muti defendit similem habet caliginem mentis.* Dixit Seneca *de ira, lib.* 3. *cap.* 27. *Et antea lib.* 2. *cap.* 9. *Et hæc est caligo mentium, non tantùm necessitas errandi, sed errorum amor.*

DISSECTIO XI.

In Sorbonicâ Academiâ laureâ Doctoratus insignitum se iactat Arnaldus, & á Sanctissimo Papa Innoc. XI fœlicis recordationis in quadam epistola responsoria laudatum, cuius transcriptum ostendit etiam Doctor iste. Tùm *Practicum Moralem* supponit virum Doctum esse, & eruditũ, & vt talem proclamatum. Sed à quibus proclamatus, dicat, & si lau labiis est, quis est iste *Practicus*, & laudabimus eum?

Sed his omissis duplici responsione evanescit hæc duplex ponderatio. Nam quoad epistolam Sanctissimi ex

eius tenore facilè dignoſcitur Arnaldum ad Santiſſimum gratulatoriam de ſuâ intronizatione epiſtolam ſcripſiſſe, & obtuliſſe libros quoſdam adversùs hæreſim Calvinianam editos; ad quam reſcripſit Eminentiſſimus Cardinalis Cibo pro Sanctiſſimi Pontificis Bonitate, & Clementia. Non dedecet enim, etiam ſupremum Principem obſequium exhibentibus ſubditis humanitèr in reſcriptis reſpondere; vt eruditè notavit ille celebratiſſimus Epiſcopus D. Antonius de Guevara *in Epiſt. fam. 1. p. ad D. Ildephonſum de Albornoz, pag. mihi* 70 Cuius verba digna exiſtimamus, vt ea in memoriam revoces, Illuſtriſſime Domine.

Ibi : *Aſſueſce*, ait, *Domine, non omittere reſponſoriam epiſtolam, cuicumque Tibi ſcripſerit; Iudex enim Nobilium non officere ſuæ nobilitati huiuſmodi reſcriptum mihi aſſeveravit. Maiori reſpondere, neceſſitatis eſt : Aequali voluntatis : inferiori tamen puræ virtutis. Alexander Magnus Pulioni ferrario equorum : Iulius Cæſar Rufo Hortulano : Auguſtus Panphilo Ferrario; etiam Tiberius Myrto ſartori reſcripſerunt.* Et alia exempla adducens proſequitur infra : *De Phalari Celebri tyranno legitur, nunquam obſequium à quopiam ſibi præſtitum eſſe, cui non grates rependeret; nunquàmque epiſtolæ ad ſe miſſæ non reſcripſiſſe. Altos adeò, & Magnos, quos retulimus Principes inferioribus adeò hominibus, & mechanicis officijs operam navantibus ſcripſiſſe, non vt indignum enarrant hiſtoriographi, ſed vt in Principum gloriam cedat. Decet igitur etiam Principatus faſtigium humilis notæ hominibus per ſuas epiſtolas reſpondere.*

Ergò abſre, & ſine applicatione expendit Arnaldus honorem epiſtolæ Pontificiæ; cùm hæc omninò non pertineat; nec pertinere poſſit ad *Practicum Moralem*, nec ad honeſtandam eius defenſionem.

Minùs honeſtatur ex qualitate eruditionis; & doctrinæ, quam in *Practico* ſupponit Arnaldus; nec ex Authoritate, & Graduatione Doctoris Sorbonici, & Catholici; imò ex ijs titulis magis gliſcit iniuria. *Atrociùs ſub ſancti*

Nominis professione peccatur : vbi sublimior est prærogativa, maior est culpa: dixit Salvianus *lib. 4. de Gubernat. Divina.* Et alibi apud Anneum Robertum *lib. 1. rerum iudicat. cap. 3. & 4. Criminiosior est culpa, vbi honestior status, vbi honestior persona peccantis.*

Hilarius Papa relatus in textu *in cap. Nulli fas 25. q. 1.* ibi: *Reatu maiori delinquit, qui potiori honore fruitur, & graviora facit vitia peccatorum sublimitas peccantium.* Ergo ex ipsâ suâmet defensione potiùs aggravantur *Practicus*, & Arnaldus.

DISSECTIO XVI.

Eò protenditur Arnaldi defensio, vt petat à Te Illustrissime Domine, condignam honoris sui restitutionem. Proh Deus! In nullo foro talem vidimus inter defensorem, & defensum identitatem, vt defensor sibimet petat compensationem! Quid ergò? An idem, & vnus sunt *Practicus*, & Arnaldus! Quod si est vnus, & idem, quis Illustrissime Domine, æquo animo sustineat, quod Goliath Religiosissimis Castris Societatis Jesu exprobrans, & Tibi Tutelari eius Numini infensus, sibi satisfieri deposcat?

Juven. [*Quis tulerit Gracchos de seditione querentes!*
sat. 2. [*Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo!*

Si verò Arnaldus non idem est cum *Practico Morali:* quid queritur? Cùm nec vllum verbum de ipso protuleris in totâ *Catholica Querimonia*; sed solummodó illud dubium, & conditionatum, quandò ad Goliath allusisti: *dummodó sit Arnaldus*, vt alibi ponderavimus.

Quod si telis *Catholicæ Querimoniæ*, quæ *Practicum* dilaniarunt, se quoque Arnaldus dolet transverberatum; audiat Divum Hieronymum *epist. ad Nepotianum, ad finem,* ibi: *Lapidato iam virginitatis libello, quem Sanctæ Eustachio Romæ scripseram :: aut enim nihil scribendum fuit, ne hominum iudicium subiremus :: aut scribentes nosse cunctorum adversùs*

versûs nos maledicorum tela torquenda. (Hanc apud impios sortiuntur pia scriptafortunam) Hieronymus nulliusnomen designaverat: *Nullum* [ait] *læsi, nullius nomen mea scriptura designatum est : neminem specialiter meus sermo pulsavit : generalis de vitijs disputatio est.* Tu veró (Domine Illustrissime) *Practicum Moralem* tantummodó, & *Petrum Iurieu* pulsasti Societatem iniquis labijs, & lingua dolosa lacerantes. Nullum prętei eos increpasti: nullum designasti; generalis in hostes erupit invectio : conclude ergó, Illustrissime Domine (si Arnaldus in sua persistat querela) vt cōcludit Doctor Maximus contra eos, qui vltronei, & non lacessiti in librum suum conspirarunt : *Qui mihi irasci voluerit, ipse de se, quod talis sit confitebitur.* Talis, vt *Practicus*, & *Iurieu.*

DISSECTIO XVII.

FRemuisse gentes, & Hæreticos meditatos esse inania adversùs Societatis Jesu gloriosam nomenclaturam, & adversùs eius Religiosos, novum quidem non est. Fremuit Rocheles, & Paschasius, & alter Antonius de Arnaldo Calvinistæ, vt videre est apud B[illegible]rtium *in amphitheatro Honor. lib. 3. p. 234.* vers. *Sed, & Societatis Iesu Nomen,* & apud Payva *lib. 1 ortodoxar. fol. 19.*

Sed quare fremuit Catholicus Doctor Antonius de Arnauld? Audiamus; consulto enim huiusmodi fremitum huic loco reservavimus Vt quando iam dissectionibus nostris limites imponimus, Societatis iniurias sepeliamus, & eis *noxio sanguine parentemus* ; vt alias eloquebatur Petronius Arbiter *in satyr.*

Oritur fremitus ex dictis precipué á Te adversùs Hæreticos *Thesi* 1. pręcipué *n.* 43 vbi contra Iurieu eloqueris : *Quid enim calamus tuus instillavit, nisi Iesu acerbissimas contumelias ; dum eius Societatem tali spongia amaricasti,*

cissti, aceto persudisti? Et inseris Origenis verba contra Celsum ita dicentis: *Cæterum quid attinet respondere ad maledicta, convitiaque, quæ in Iesum iaculatur, ...*

Concaluit ad hæc Arnaldus, efferbuit verô proculdubio, vbi statim ais *n* 46. *Quid ni contra Iurieum, quid ni contra alium Practicæ Moralis Authorem dicatur, dùm vterque spiritum virulentissimum pectore abditum afflare per calamum tentastis?*

Exarsit denique dùm *in §.7.n.6* ad Sanctissimum exclamasti: *Non solum scripta falsa flammis addicenda sunt, verùm etiam eorum Authores, & impostores ad instar monetæ falsarios,* vt eruditissimè comprobasti.

Itaque hoc æstu flagrans, ait: iam pridem prætendisse Jesuitas, gentes eos suspicere eâdem veneratione, ac reverentiâ, qua Jesum Christum Et quemadmodum in Jesum Christum loqui, blasphemia est igne expianda, ita in Societatem loquentes eidem pœnæ submittendos iudicant. Et simul asserit, blasphemam rem, & sacrilegam esse applicari pro Societate adversùs *Practicam*, *& Iurieu* textum Origenis contra Celsum de Christo blasphemantem.

Aethnę montis incendia ex ventorum flatibus inter se concertantibus & sulphur, & bitumen agitantibus concipiuntur, vt explicat Justinus *lib.* 4. Non aliter Monsiur de Arnauld suo excitatus *spiritu* in supra iactatas erumpit flammas.

De Aethna cecinit ille Musarum disertissimus alumnus Hispanus noster D Gabriel Bocangel.

Hypocrita, el Mongibelo,
Fuego oculta, nieve expone.
Que harán los pechos humanos
Si saben fingir los montes?

Quam celebratissimam sententiam sub hoc hexametro carcerabimus

Hypocrita Aethna nivem ostendit, flammasque recondit;
Quid mortales faciens? sapiunt si fingere montes.

Non

Non aliter in se æstuat Arnaldus, sed eâ ergà Te dissimulatione, quâ nivem ostendat, nam vt nobilissimæ petulantiæ notam evaderet, candidus pro Tuâ reverentiâ apparere intendens, ait hanc de honoribus Societati impensis, clausulam, illamque Origenis textus applicationem, fabricatam esse â Jesuitis, non à Te structam. Quo frigidissimo operimento, & ardet & alget.

Quem quidem morbum animi insaniam optimê appellabimus cum Seneca *epist.* 95. *Inter insaniam publicam, & hãc, quæ à medicis traditur, nihil interest, nisi quod hæc morbo laborat; illa opinionibus falsis. Altera causas furoris traxit ex valetudine, altera animi valetudo est.* Et statim de remedio differens prosequitur: *Si quis furioso præcepta det, quomodo in publico se gerere, quomodo in privato, erit ipso, quem monebit, insanior. Si bilis nigra curanda est, & ipsa furoris causa removenda. Idem in hoc animi furore faciendum est, ipse discuti debet.*

Non dabimus ergo Monsiur de Arnaldo Doctori *præcepta quomodo loqui debeat; sed ea*, quæ (vt more medicorũ loquamur) vim discussoriam habent, medicamenta propinabimus.

DISCVSSIO I. Primam recipiat ex ipsa *Catholica Querimonia*; in ea enim § *vlt. n.* 6. Henricum Kalchein in medium adduxisti ita loquentem. *Nam si falsarius monetæ comburendus est quanto magis falsarius librorum, qui per adulterationem, supponit viris Catholicis, probis, & in summa dignitate constitutis; ea, de quibus nunquam cogitarunt, & quæ vilissima sunt, mendacio falso insignit, signoque nobili notata, quasi legitima dispendit.* Ergó sine illa sacrilegâ paritate, quam criminatur Arnaldus, Societatis libellarios pœnâ ignis dignos existimari fas est.

Sed irridet, iocoseque pro *Petro Iurieu* quasi advocans, & quasi sibi congratulans ait, longissime abesse à manibus. Ast sibi consulat, non longê enim, nec immunes ab ira Dei sunt huiusmodi nefarij detractores, nam & *si sumpserint*

pœn-

pennas suas diluculo, & habitaverint in extremis maris, illuc manus Domini deducet eos, si descenderint in infernum, adest.

Contremiscant saltem ad vocem Ethnici Authoris sententiæ, sed dignę Catholico Doctore, Valerij inquam Maximi *lib. 1. de Religione, cap.* 1. *n.* 25. vbi recensens illum Dionisium Tyrannum Deorum irrisorem concludit, ibi: *Qui tametsi debita supplicia non exolvit, dedecore tamen filij, mortuus pœnas rependit, quas vivus effugerat. Lento enim gradu ad vindictam sui Divina procedit ira: tarditatemque supplicij gravitate compensat.* Patietur ergó Jurieus, & similes, in liberis, id est in libris, combustionis dedecus, & mortui flammas, quantumvis tarda, severiori Dei vindicta.

DISCVSSIO II. Secundum recipiat discussionem *ex lege quisquis* 4. *Cod. ad leg. Iuliam Maiestatis*, ibi: *Ipse quidem Maiestatis reus feriatur, etiam conatu; eadem enim severitate voluntatem sceleris; qua effectum puniri iura voluerunt: nam & ipse pars corporis nostri sunt.* Ecce Arnalde Ministrorum Regiorum offensores, imò & offendere conantes tanquam Rei Maiestatis puniuntur. Valebit ne consequentia; ergò eâdem reverentiâ, & veneratione eos Populi suspiciunt, qua Regem ipsum? Minimé. Pars corporis Augusti sunt, pars etiam nobilissima corporis Ecclesiæ sunt Jesuitæ; siquidem Societatem *Brachium Ecclesiæ* dextrum vocavit Clemens VIII. vt refert Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 5.

Scio Sanctissimum nostrum Papam Alexandrum VIII. etiam Dominicanam Religionem *Brachium Ecclesiæ dextrum* denominasse; refert Reverendissimus Magister Generalis in litteris encyclijs ad Ordinem missis 22. Octobris anno 1689.

Est ergô vtraque Religio ita vnitate connexa, vt ex vtrâque fiat *vnum Brachium dextrum Ecclesiæ*; vnde duæ subsequuntur veritates; prima quod, sicut vtriusque laudes communes sunt, ita & offensæ. Secunda, quod in Societatem sacrilegus, seu effrenatus obtrectator Christum ipsum offendit, dum in suos Ministros grassatur.

DIS-

Recipiat tertiam. Non spirabat Saulus in Jesum ipsum; sed in Discipulos Domini. *Actuum Apostolor. cap. 9. Saulus adhuc spirans ::: in Discipulos Domini.* Non directè in Jesum spiravit. *Spiritus* Monsiur de Arnauld. in Jesuitas. Et quanam arte? Saulus munitus Epistolis: *Petijt epostolas in Damascum.* Jurieus, & Practicus suis libellis, Arnaldus epistola in Jesuitas conspirant. Et licet bellum totum in Discipulos concitaretur, Jesus sibi causam sumit. *Saule, Saule, cur me persequeris?* Ergò Jesuitarum persecutio, vtpoté persecutio in Jesum meritò contemplanda venit ipso Domino prædicante: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei* Zach. c. 2. & *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Psalm. 104.

Admisceamus prædictæ discussioni hanc sacrorum Ministrorum protectionem, á Jesu impertiendam, speciali titulo, Jesuitis. Quòd facilê suaderi potest; milites enim sunt Jesuiticæ Militiæ, vt patet ex illo Romano Pontificis rescripto Greg. XV. in Brevi concesso Episcopo Carolo de Lorena, ad ingressum in Societatem, ibi: *Proficiscere ad illam Sacræ Militiæ Societatem, Catholici nominis defensione, & hæreticorum excidijs clarissimam.*

Regis verò est præter legum plurima beneficia specialis militum protectio. Cassiodor. *variar. lib. 6. epist. 13. De remuneratione militum*, ibi: *Hæc quidem priscorum beneficio consequeris, sed nostri Nominis contra inciviles impetus; & conventionalia detrimenta perenni tuitione vallaris ::: nec tamen aliquid contra te valere permittimus, quod dolosa fuerit machinatione tentatum.* Ergô *Iesu Nomen* contra iniurias, & famosos libellos, milites suos specialiter esse protecturũ, non dubitandum; infensumque esse Iesu, qui suæ Sacræ Militiç infensum se exhibuerit.

Quod si adhùc hoc sibi non suaserit Arnaldus, redeat ad textum *in l. 4. ad legem Iuliam Maiestatis*; & vi lebit cuilibet etiam ex militibus iniuriam incutientem, tanquam

Reum Maiestatis damnatum, ibi : *Vel cuiusl. ket postremo, qui nobis militat ::: ipse quidem vtpotè Maiestatis Reus gladio feriatur.* Ergò iniuria Iesuitis incussa, qui Iesu militant, in Iesum ipsum refundi pro comperto est, & ad pœnam tanquam læsæ Maiestatis Divinæ reputanda.

DISCVSSIO IV. Discutiamus etiam de honoribus. Absit illa sacrilegê hyperbolica paritas, qua Arnaldus ponderat iam pridem studuisse Iesuitas, eâdem reverentia eos Gentes suspicere, qua Iesum Christum. Consideret Arnaldus, ex qua claususla *Catholica Querimonia* hoc studium infert : sed si considerationis compos esset, ab illâ temperaret affectatissimâ affectatione, nempè *Catholicam Querimoniam* structuram esse, non Tuam, sed Iesuitarum. Vel temperaret saltem ab audacia, qua *Catholicam Querimoniam* super hoc taxat; nam vt terminos omnimodæ circunspectionis non egrederetur, satis erat eam Tuo Nomine, & subscriptione vidisse munitam. Sed parcamus Arnaldo exclamanti ; hæc est enim vis, & effectus ardoris, & algoris, quibus afficitur Arnaldus, quo cum non incongruè videtur Martialem loqui in illo lepido epigrammate, vbi & morbum describit, & consilium sanum laboranti obtulit.

Lib. 4. Epig. 81.

Declamas in febre, Mathon: hanc esse phrenesim
Si nescis, non est sanus, Amice Mathon.
Declamas æger, declamas hemitritæus,
Si sudare aliter non potes, est ratio
Magna tamen res est, errans cum viscera febris
Exurit, res est magna tacere, Mathon.

DISCVSSIO VLTIM. Sed adhùc hos pravos affectus discutiamus ex S. Thoma 2. 2. *q.* 63. *art.* 3. *ad* 3. Vbi Sanctus Doctor. *Honor nihil aliud esse videtur, quam reverentia quadam alicui exhibita in testimonium virtutis.* Iesuitæ apud omnes vbique Catholicos, imô apud Barbaros, & Indos (vt eruditè in Catholica Querimonia comprobasti §. 1. ex n. 18.) in reverentiâ sunt, ergò vbique patet virtutis suæ testimonium.

Rur-

Rursùs: *Honor debetur optimis*, dixit Philosophus, & ex eo Angelicus Præceptor 2. 2. q. 103. *art.* 2. ait: *Honor nihil aliud est, quam quadam protestatio de bonitate alicuius.* Gentes omnes honoribus Jesuitas prosecuntur ergò eorum bonitatem protestantur.

Honor est quoddam testimonium de virtute eius, qui honoratur, & ideo sola virtus est debita causa honoris: dicit q.103. *art* 1. Ergò ius clarum suffragatur Iesuitis,& optima,& indubia causa ad honorem, dum Gentes omnes pro se habent virtutum suarum testimonia proferentes.

Testimonia huiusmodi non vnica specie carcerantur, sed vt scribit dicto *art.* 1. *Ostenduntur: per signa exteriora, vel verborum, puta cum aliquis ore pronuntiat excellentiam alicuius; vel factis, sicut inclinationibus, obviationibus, & alijs huiusmodi, vel etiam exterioribus rebus, puta in munerum oblatione :: & secundum hoc honor in signis exterioribus; & corporalibusconsistit.* Ergó exterioribus his signis, quibus invident adversarij Societatem extolli debitum est apud omnes Gentes, imô non vtcumque sed cumulatis honorum exhibitionibus Paul. ad Timotheum *epist.* 1. *cap.* 5. *Qui benè præsunt Prasbyteri, duplice honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo, & scriptura.*

Innumeros tot adducemus honorũ Societatis testes,quot quot libris suisIesuiticam gloriam æternitati mandarunt;sed & quod ad evidentiam relucet, repetita Sedis Apostolicæ oracula, ab incunabulis Societatis, sublimibus eam honoribus exaltantia, neque enim altiùs encomia, neque firmius, neque verius resonare possunt, quam quę ex eminentiore, & Maiestico Dignitatum culmine derivantur. *Quid enim maius quæritur, quam hic invenisse laudum testimonia; vbi gratificatio non potest esse suspecta! Regnantis quippè sententia iudicium de solis actibus sumit, nec blandiri dignatur animus Dominij potestate munitus.* Dixit Casiodorus *variar.lib.* 1. *epist.* 3.

Hęc veró,quę laudum innuimus testimonia,in sequenti

Disectione pandentur. Interim veró Societati Gloriæ in dus, adinstar Aman pro Mardochęo, præconium paret ad Iesuitarum exaltationem, vt Esther 6. *Hoc honore dignus est, quem Rex honorare voluerit.*

DISSECTIO XVIII ET ULTIMA
Theatrum Iesuiticum.

§. 1. De Sacris Heroibus.

IMmensum iuris pelagus tranaturis visum est Antiquis iuris Interpretibus ab Vrbis primordijs exordiri, vt *in l. 1 ff. de origine iur.* ibi : *Facturus legum vetustarum interpretationem, necessario prius ab Vrbis initijs repetendum existimavi; non quia velim verbosos commentarios facere : sed quia cuiusque rei potissima pars principium est.*

Potiori igitur iure, nos Theatrum honoris Jesuiticum structuri à Religiosissimæ Societatis nascẽtis exordijs repetemus. *Nec mihi cuncta complectendi cupido incessit* (loquor ex Valer. Maximo in Prologo) *quis omnis ævi gesta modico voluminum numero* (imò vnica dissectione] *comprehenderit?* Imitabimur enim Pictorem illum, qui brevissima tabella Gigantem depingere coarctatus digitum tantummodo efformavit ; vnde Honorifici Theatri Iesuitici magnitudinem, quam immensum laudum volumen non capit, angustis periodis demonstraturi aliquos pręclarissimę huiusce Religionis radios rudi nostro delineabimus penicillo ; hoc lemmate illustratos. *Digitus Dei hic est.* Exod. 8.

Sed iam prima auspicia . & Sanctissimæ Societatis aggrediamur primordia. O quam gloriosa ! Erexit eam in Religionem , & simul laudavit feliciss. recordat. Paulus V. in Bulla *Regimini anno* 1545. In hæc verba.

Ibi : *Nuper siquidem accepimus, quod dilecti filij Ignatius de Loyola , & Petrus Faber , & Iacobus Laynez ; necnon Claudius Iayus : Paschasius Broet, ac Franciscus Xavier , necnon*

non Alphonsus Salmeron, & Simon Rodericus, ac Ioannes Coduri, & Nicolaus de Bobadilla :: in artibus Magistri in Universitate Parisiensi graduati; & in Theologicis studijs per plures annos exercitati, Spiritu Sancto, ut pie creditur, afflati iam dudum ex diversis mundi Regionibus descendentes in unum convenerunt, & socij effecti abdicatis huius sæculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini N. Iesu Christi, atque nostro, & aliorum Successorum nostrorum Romanorum Pontificum servitio dedicarunt, & iam plu ibus annis laudabiliter in vinea D. se exercuerunt, Verbum Dei, pravia sufficienti licentia, publicè prædicando fideles privatim ad bené, beateque vivendum, exhortando, & ad pias meditationes excitando, Hospitalibus inserviendo, pueros, & personas rudes ea, quæ ad Christianam hominis institutionem sunt necessaria, docendo, ac demum omnia charitatis officia, & quæ ad animarum consolationem fuerunt, vbique terrarum, vbi peregrinati sunt, multa cum laude obeundo.

Plantavit igitur Paulus Societatem : rigavit prolixus Iesuitarum sudor, & sanguis : Deus autem incrementum dedit; quod ipse conspiciens in Bulla. *Cum inter cunctas anno* 1545. ita profatur. *Attendentes ad vberes fructus, quos in Domo Domini hactenús produxistis, & producere non desinitis vestra Religione, integritate, scientia, doctrina, moribus, & experientia.*

Quæ Pontificia verba, quasi mutuans, Illustrissime Domine, Angelici Doctoris vestigijs insistens §. 1. *Catholicæ Querimoniæ, n. 2.* Et ea contrahens adversùs Iesuitarũ adversarios, ita inquis: *Ipsi enim æquo animo cernere nequeunt; nec nisi ægerrimis oculis iustos tot Sacros fructus, quos Societas Iesu in horrea Domini congregat, quam animosè in Hæreticos, quam fortiter insurgat, quam fœliciter eos debellet.*

Sed quia maxima ornamenta Matris liberos esse dixit Valerius Maximus *lib. 4. cap 4. de paupertate laudata* illam extollens Matronam, quę alteri monilibus iucundæ filios suos ostendit, proferens. *Et hæc ornamenta mea sunt.* Soci-

cietatis ornamenta in medio producamus. *Quod melius Personis, quam verbis repræsentabitur* (dixit Valerius ibidem) *Itaque laudemus viros gloriosos* (Filios Societatis Iesu) *homines virtute, & prudentia præditos :: in virtute pulchritudinis studium habentes. Omnes isti, in generationibus suis, Gentis suæ* (idest totius populi Christiani) *gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus*, Eccles 44.

Iterum verò præmanibus Valerium habentes *lib.4.cap. 1. n. 11.* & assumpti latitudine gravamur, & sua levamur excusatione. *Sentio*, ait, *quos cives, quam angusto ambitu orationis amplectar: sed cum magna, & multa brevitate dicenda sunt de claritate, excellentibus viris, sermo infinitis Personis circumfusus, vtrumque præstare non potest. Itaque propositi quoque nostri ratio, non laudanda sibi omnia, sed recordanda sumpsit. Quapropter bona cum venia duo Metelli Macedonius, & Numidicus.* (Sed nos dicamus Divus Ignatius, & Divus Xaverius) *maxima Patriæ ornamenta, strictim se narrari patiantur.*

Prius ergò Societatis ornamentum in Theatro Iesuitico irradiat ille ad maiorem Gloriam Dei natus *Divus Ignatius de Loyola.* Vix Societas 16. annum suç Apostolicæ erectionis attigerat, cum *Beati* nomine insignitus est anno videlicet 1609. Et anno 1622. à Greg. XV. Cathalogo Sanctorum adscriptus, vt patet ex Bulla Canonizationis anno 1623. quam Vrbanus VIII indulgens, non modo adorandum Patriarcham proponit, sed etiam Societatem Iesu gloriosam reddit.

Ibi: *Ineffabilis Dei Bonitas, & misericordia, quæ miro consilio, suis quoque temporibus apte disponit :: novissimis temporibus cum Lutherus monstrum teterrimum aliæque detestabiles pestes blasphemis eorum linguis in Septentrionibus, corrumpere, & depravare, ac Sedis Apostolicæ detrahere conarctur, excitavit spiritum Ignatij Loyolæ, qui ex medio honorum concursus, & á sæculari, & terrena militia, admirabili quadam ratione vocatus, ita se Divino Imperio regendum, & formandum tradidit,*

dit, vt demum nova Societatis Iesu, quæ inter alia pietatis & charitatis opera gentibus convertendis, hæreticis ad fidei veritatem revocandis, & Romani Pontificis potestati tuendæ ex instituto se totam impendit, Religione fundata. Vitam admirabili sanctitate traductam sanctissimo pariter concluserit exitu, ac plurimis sit miraculis illustratus.

Consonant his elogia, quibus in limine *Catholicæ Querimoniæ*, & sub Tua sinu recipis,& prosequeris Socieatem.

Exaltat pariter Societatem Iesu Apostolatus, dignitas quæ in Sancto Francisco Xaverio resplenduit. *Indiarum Apostolus vnanimi totius orbis consensu* denominatur ab Vrbano VIII. in Bulla Canonizationis anno 1623. *Quem Deus* (prosequitur Pontifex) *adeó magnificaverat, vt nomen eius honorabile esset apud omnes gentes.*

Illustravit Societatem *Iacobus Laynez omnium iudicio, & consensu Theologorum Princeps: Oraculum Spiritus Sancti: Arca vtriusque Theologiæ* prædicatus vt laté Alegambe *in Bibliotheca.* Vbi etiam quod Sanctam Cardinalitiam Dignitatem, ei á Paulo IV. P. M. oblatam repudiavit. *Illo veró Pontifice mortuo, ac Sede Apostolica vacante 12. Cardinales ex vniverso illo Sacro Collegio lectissimi in ipsum extra Conclave Romæ agentem suffragia contulerunt, quo Pontifex Maximus fieret.*

Adstitit Concilio Tridentino ter missus tanquam Sedis Apostolicæ Theologus á Paulo III. Iulio III Pio IV.

Devicit in publico totius Regni Conventu in Galliam missas á Pio IV. Theodorum Bezam, & Petrum Martyrem,aliosque nefarios hæreticorum Antesignanos, quæ & plura eiusque scripta refert Alegambe; *in Bibliotheca.* Vbi plurima eius recenset scripta.

Militavit strenuissime in Ecclesia Catholica *Alphonsus Salmeron. Hæreticorum perpetuus Hostis, quos disputationibus, lectionibus, ac scriptis semper exagitavit, ac fregit: Catholicæ Fidei vbique propugnator acerrimus :: In Hibernia Nuntij*

Apos-

Apostolicè munere functus. Synodo Tridentinæ sub Paulo III. sub Iulio III. ac sub Pio IV. Sedis Apostolicæ nomine interfuit. Plurimis scriptis per 16. Tomos, & vltra Ecclesiam Catholicam adversus Hæreticos armavit ibidem enarratis per Alegambe.

Nicolaus de Bobadilla; pro Ecclesiæ bellis dimicandis, nullas non persecutiones passus; sed adeò indefessus, vt modo hanc modo illam curaturus Ecclesiæ partem, nunquam eodem loco consistens, sed tanquam verus Apostolus, vt de eo Vienaensis scripsit Antistes cuncta pererrans.

Vindex extitit in Hæreticorum errores. Nam *Commissarij nomine ab orthodoxæ Fidei Iudicibus destinatur, vt cunctos Hæreticorum, Iudeorumque libros collectos infami concremaret incendio.* Scripsit plurima pro Fide Catholica. Alegambe.

Claudius Jaius; *Vir placidissimus morum, & qui doctrinam cum pietate perpetuo coniunxit. Hic, si quispiam alius in hac Schola sanctitatis opinionem apud summos medios, infirmes sibi comparavit, cunctis æque charus, & salutaris.* Eius species; & indelebilis memoria relucet in libro, quem edidit *Speculum Præsidis ex Sacra Scriptura, & D.Thom.verb.*

Sed quid totam decadem percurram? Memorent Romani Decemviratum illum Supremorum Magistratuum Collegium, quorum studio Legum duodecim Tabularum editio debita est, textus *in l. vnica, de origine iur.* §.16. Alexander ab Alexandro *in Genial. Dier. lib.3. cap.16.* Vbi Tiraquell. cum Tito Libio.

Satis est nostris Decemviris, ea Sedis Apostolicę commendatio, qua eos prosequitur, vtpoté legis Evangelicæ *Spiritu Sancto afflatos* celantissimos annuntiatores.

Satis, superque eorum memoria laudabiliter perennabit, ex eo quod sibi Divus Ignatius in socios evocaverit, *nam si æqualis credendus est, quem iustus elegerit, si temperantia præditus, quem moderatus ascivit: omnium profecto capax est*

est meritorum, qui Iudicem cunctarum meruit habere virtutum, dicebat Cassiodorus *lib.1.variar.epist.3.*

Hęccine Ecclesię Sacratissima Decima, & Societatis primitię indefectibili moriendi statuto terræ commissæ ó quam multiplici fœnore fructus reddidit, reliquit enim heredes fœcundissimas segetes, suarum virtutum successores. *Cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum.* Eccles. 44. 13.

Hæreditas Sancta, Beatus *Aloysius Gonzaga* ex serenissima Mantuæ Ducum, Prosapia Marchionis Castillionensis Principis Filius Primogenitus, iure puritatis Evangelicę nomen ANGELICI assecutus. Multis miraculis clarus á Paulo V. inter superos relatus. Die 31 Martij 1618. Mantua eum veneratur Protectorem. Illustravit Ecclesiam libris Meditationum, & concionum. De eo laté Virgilius Separius.

Beatus Stanislaus Koka Polonię gloriosissimum decus, de quo Clemens. X. in exordio Bullæ super eius officio. Dat. Romæ 13. Novemb. 1670. *In Apostolicæ* (ait.) *Qui electos, suos devotione supra ætatem, & virtute supra naturam instruit.* Veré hæreditas sancta.

Huiusmodi nomenclaturam integre adimplens inter primos recenseatur *Sanctus Franciscus de Borja* Gandiæ Dux. qui in scriptis suis plurima reliquit sanctitatis suę monumēta Magnus in se. Maior extra se. Maximus super se. Nā Magnus in sęculo. Maior in Religione abnegans sęculum, & semetipsum. Maximus, super Religiosum dum semel, & iterum, & tertio, Cardinalitiā Purpuram non admisit.

Intulit primus hanc amplissimam Dignitatem in Societatem Iesu Eminentissimus Dominus *P. Franciscus Toletus,* Cordubensis Vrbis fulgentissimum decus, quē à Divo Borgia in Romam missum, ita Ecclesiæ Vniversali proficuum hoc lumen respexit Clement. VIII. vt eum in huiusmodi altiore candelabro etiam invitum, & reluctantem collocavit. *Excellentem* (ait ... Navarro) *Sacræ Paginæ Doctorem,*

&

& accerrimum Gymnastam, Ecclesiastem cum primis Vrbis, & Orbis suscipiendum, Societatis Iesu singulare ornamentum. A Sancto Pio V. accersitus ad munus sui concionatoris, quod apud eum, eiusque successores, per 24. annos mirabiliter exercuit. Singularibus elogijs commendatur per Ferdinandum Vghellum. Victorellum R cium. Navarro, Cardinalem de Joyosa. Sixtum V. Gregor. IX. Scripsit 19. tomos. Latius Alegambe.

Eminentissimus Cardinalis Dominus Pater *Robertus Bellarminius* Marcelli II. Pontificis Maximi Sororis Cinthiæ filius, quem Clemens VIII. in Cardinalem elegit hoc elogio: *Hunc eligimus, quia non habet parem in Ecclesia, & quia est nepos optimi, & Sanctissimi Pontificis.*

Subscribunt eius laudibus Eminentissimus Cardinalis Barberinus, postea Vrbanus VIII de eo tunc superstite dicens: *A se æstimari Sanctum, nō secus atq; alios, qui antiquitatis etiam adiuncta commendatione publicam habent venerationem.* Cardinalis à Monte *Deum*, aiebat *eum commodasse vsibus Ecclesiæ.* De eo: *Exemplar hoc perfectissimum voluisse, vt Sacer Senatus, ac sæculum nostrum ab illo, vt à S. Carolo illustraretur. Exemplar suorum temporum, quem non honoraret, vt Cardinalem sed adoraret vt Sanctum.* Dixit Cardinalis Estensis *Alter Augustinus* dictus à Cardin. Verallo, & similiter à Cardinal. Vbaldino; & assimilatus *Iosepho, Davidi, Tobiæ, Divo Gregorio, Divo Paulo Ioanni Baptistæ*: á Cardinali Visino. O quot de eo paginas complere possemus: id sufficiat, quod quasi per epilogum scribit Alegambe: *Spiritus Sancti amanuensis, validus Ecclesia Dei colossus, Pissimus Fidei Atlheta, & hæreticorum hostis acerrimus; novus Antonius in sublevandis pauperibus. vita perfectissima, Basilius in confutandis hæreticis Ireneus à Divina providentia destinatus.* Scripsit 19 tomos: Fusius Alegambe.

Eminentissimus Dominus *P. Alexander Vrsinus*, & humilitatis, & natalium splendore pariter Eminentis, ê Nobilissima Romanos inter Principes Familia Filius Ducis Bracciani ad Car-

Cardinalatus fastigium evectus á Paulo V. anno 1615. Societati Jesuiticæ nomen dedit anno 1621. post obitum Eminentissimi Cardinalis Bellarmini sancto quodam æstro incitatus scripsit aliqua tanto viro digna.

Eminentissimus Dominus P. *Petrus Parmany*, Archiepiscopus Strigoniensis Hungariæ Primas, natione Hungarus gente Transilvanus, Patria Varadensis, vetusta nobilitate, & præclarissima genitus: In Apostolico Missionum munere eximius: labantem per Hungariam ortodoxæ Religionis integritatem reparavit. Magnates reduxit: Clerum reformavit. Collapsa templa reparavit; plurima instituit. Ab Vrbano VIII. dignitate Cardinalitia donatus est anno 1629. Legatus ad eundem Pontificem à Ferdinando Cœsare II. missus: hæc, & alia apud Alegambe vbi etia 20. tomos ab eo scriptos recenset.

Eminentissimus, & Serenissimus Dominus *P. Ioannes Casimirus*, Poloniæ Princeps, Filius Sigismundi III. qui ex Societate ad Purpuram Cardinalatus; ex Purpura ad Sceptrum ascendit, vbi Jesu Militavit gloriose Religiosis virtutibus, & triumphavit adversus Hæreticos, & Barbaros.

Eminentissimus Dominus *P. Ioannes de Lugo*, Natione Hispanus, Hispalensis Patria, sed natus Mantuæ; prçstantis ingenij, & doctrinæ, qua Romanum Collegiũ omnibus prçponendum annis 20. publice Theologiam docendo exornavit. Quem Romani P. P. Cardinales, & Reges & totus Orbis consuluit. Scripsit 7. tomos. Alegambe. Qui postquam & Hispaniæ Vniversitates, & Indicas, seu Luminare maius doctrinis illustravit in altissimo Cardinalatus culmine merito resplenduit.

Eminentissimus Dominus *Sforcia Pallavicinus* totius litteraturæ miraculum, excedentibus longe ætatem canis sapientiæ. Ab Alexandro VII. in Cardinalium supremum Collegium evectus. Scripsit tomos 4. Plurima de eo Alegambe.

Eminentissimus, & Excellentissimus Dominus *Pater Ioannes Everardus Nidhardus* Augustæ Dominæ Reginæ Matris nostri Catholici Caroli II. quem Deus fœlicissimè servet, olim Magistri; postea Confessarij; á Consilio Status Regis Catholici. Vnus ex Dominis Magni Conventus pro Gubernatione Hispaniarum in minore ætate Regis Domini nostri, Supremus Inquisitionis Generalis Præsul. Ad Romanum Pontificem Extraordinarius Ambasiator pro Rege Catholico. A Clemente X. demum ad Cardinalitiam Dignitatem elevatus. Scripsit pro Conceptione.

Pater *Franciscus Suarez*, Granatensis Vrbis immortalis honor *communis omnium Magister* vbique appellatus. *Doctor eximius* à Paulo V. de quo refertissima manu Alegambe. Scripsit 24. tomos.

Pater *Franciscus Turrianus Doctissimus, & pariter Religiosissimus* laudatur à Cardin Baron *in notis ad Martyr. Rom. 26. Ianuarij*. Scripsit innumerabilia, vt apud Alegambe. *Eruditissimum Doctorem, Scriptorem diligentissimum, Illustrissimæ Societatis Iesu insigne ornamentum.* Eum laudat Navarrus *in propugnat. Apolog. de reddit.* Ecclesi. n 4. *Fidei defensorem, & propugnatorem accerrimum* Joannes Crœselius *in suis elogijs part. 1.*

Martinus Becanus Natione Belga, Patria Barbantus celeberrimus Divi Thomę Interpres, ab Imperatore Mathia, ad Viennensem Academiam illustrandam evocatus. Ferdinandi II. Cęsaris Augusti á confessionibus. Pro triumphis adversùs hæreticos reportatis hoc nomine ab omnibus famigeratus scilicêt, *Calvino Mastyx*: *Calvinistarum malleus.* Vtilitati publicæ dedit plurima, quę in 11. tomos redacta sunt.

Theophilus Raynaudus Natione Gallus, quem Andræas Saussaius *cap. 20. Apparat. ad Martyrolog.* vocat *Præstantissimum Theologum, nitore eloquij, & consummatæ eruditionis copia plenum.* Supra 20. libris omni doctrina refertis posteritatem edocuit.

Ia-

Iacobus Gretserus Natione Germanus: Patria Marckdosfensis *Fortissimus Athleta, ac vigilantissimus veritatis defensor: magnus Lutheranorum domitor, ac malleus hæreticorum, & calumniatorum Societatis terror, cuius laus ingens est in Ecclesia Dei.* Ita apud Spondanum *in annal. præfat. ad lecto-* & anno 774. *n* 3. Eudemontanus *confutat Anticoloni. cap.* 1. & alios. Difficile est valde computare pene innumera opera quibus omnes scientias illustravit.

Iacobus Granadus Patria Gaditanus. Prophetiæ, scientiæ infulæ opinione, æqueque sanctitatis perillustris. Miracula per eius invocationem patrata, & piorum hominum de ipsius revelationes vulgatæ sunt. In tomis 8. doctrina sua relucet. Corpus eius asservatur Granatæ. Alegambe.

P. Thomas Sanchez; qui etiam sanctitatis opinione requievit Granatę, Regalis illius Chancellarię Oraculum; imó omnium Regnorum. *Scriptor Gravissimus, eruditissimus, Illustrissimus, Moralium Scriptorem Princeps splendidissimum Theologiæ Moralis lumen* passim á Scriptoribus appellatus; Observatus ab omnibus Tribunalibus. Per Clementem VIII. in quæstionibus matrimonialibus omnibus DD. antepositus. Sed plurima eius opera testantur.

P. Ioannes Azor; Lorię Vrbis decus ex suis institutionibus moralibus celeberrimus, quibus omnigena litterarum supellectili sæcula adornavit.

P. Georgius Hemelman, Malacitanæ Civitatis Gloria, cuius sepulchro Granatense Collegium plumbi lamina hocce insculpsit epitaphium: *Condidit hic tumulus venerandum in Christo P. Georgium Hemelman, Malacitanum: stirpe Nobilem Morum omni probitate, & litteratura Magnum; dicendi gratia Demosthenem; Poesi Maronem: Philosophia Aristotelem: Theologia Augustinum. Is ingenij acumine, & profundiore indagine eam illustravit, promovit sapientissimis in Sanctum Thomam commentarijs, &c.* Nulli pene Granatensis Societas tam diffusa, quam iusta solvit parentalia.

P. Carolus Scribanius Natione Belga; Bruxellę honor.

De

De quo P. Albertus Miręus aiebat: *Vix singulis sacula singulos ferre Scribanios.* A Valerio Andrea vocatur: *Hæreticorum Antagonista: Calvinistarum terror.* Maximi eum fecit Vrbanus VIII. quod, & litteris ad eum datis, & sacris donatijs missis sœpissime testatus est. Ferdinandus II. Imperator Augustus litteris benevolentiæ plenissimis eum honoravit, cui etiam fuerat ad conciones propositus, nisi fractæ annis vires obstitissent. Rex noster Catholicus Philippus IV per Comitem Olivarium, tunc Privatum, & Primum Ministrum indicari iussit, duo sibi cum cœtera placerent omnia in Scribanio displicere; vnum, quod eius sapientia in tanto locorum intervallo assiduê frui nō posset, alterum, quod liber *Politico-Christianus* sibi dicatus, quem optasset servare veluti privatum sibi Consiliarium, publicè legeretur orbe vniverso. Henricus IV. Galliarum Rex ob nominis famam, & vota pro se concepta in Amphitheatro Honoris, cum calumniatores librum illum flammis expiandum vrgerent, diplomate Regio ad eum misso laudavit, & civem illum Gallicum cum solitis privilegijs inscripsit. Hæc, & alia plurima, quę non capit hæc oratio apud Alegambe.

Pater Ludovicus Molina, Patria Conchensis, de quo Silvester Maurolycus *lib.* 5. *oceani* Relig. ait: *Ipse verò Molina in Theologia Morali, tantæ est authoritatis, tantæque æstimationis in Tribunalibus, & apud Iuristas, vt sine vllo adminiculo, aut copia aliorum Authorum ad ferat lumen veritati, decisionem causis, terminum litigys.* Et Beyerlinc. *in opere* Chronologico ad Al. 1599. Tit. *Viri illustres ita Multiplice rerum scientia præcellens etiam doctissimos suæ ætatis, eam Theologiæ partem: quam maioribus difficultatum scopulis expositam longo vsu didicerat, elegantioris doctrinæ lumine penitus illustravit.*

Eadem prorsus adaptari possent Hispalensi illi fulgentissimo Syderi Patri Ioanni de Cardenas, cuius luces posthumas, suoque Authore Orphanas, nempe *Crisis Theologica*

super

super 65 propositionibus damnatis à SS. Innocentio XI. Tibi Societas dicavit, & dum egregia tua facinora, & omnium virtutum splendorem recensuit, Solem Te ad vivum expressit, vt Solis instar *operi illi, vtpotè Astro lucem fœnerares,* eiusque orphanitati consuleres, per affinitatem inter Dominicanam, & Jesuiticam Familiam, iuxta illam legem Charondæ, de qua Diodor. *lib* 12. *Bibl.* vbi *Orphanos educandi curam tradi maternis affinibus,* statuebatur.

P. Gabriel Vazquez, vnus pro mille : Theologorum facile Princeps, ita extollitur à Basil. Ponc. *lib* 4. *de matr. cap.* 1. *n.* 9 *& lib.*5.*cap.*7. *n* 6. Diana vero *Resol. Moral.* 1. *p. tract.*3. *resol.*3. *& p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 29. post plurimos laudatos de hoc ait: *apud se esse instar omnium.*

P. Cornelius à Lapide, quem Tu (Domine Illustrissime) extollis *in Proclamatione Catholica ad Principes Christianos, super sacro fœdere contra Othomanum Imperium*, quam Sanctissimo Innocentio XI. sacrasti, editam anno 1684 vbi quasi prophetasti tot partas victorias, & Turcarum eversiones, quot in dies Imperialia vexilla prosperantur.

Id in maximam Virginij Rufi gloriam, & fœlicitatem duxit Plinius *lib.*2. *epistol.* 1. vt laudatorem habuisset præclarissimum. *Laudatus est à Consule Cornelio Tacito : hic supremus fælicitatis eius cumulo accessit laudator eloquentissimus.* Contigit vice versa eloquentissimo Cornelio Jesuitico laudator sapientissimus, & Illustrissimus Præsul; quid fœlicius?

Cornelius à Lapide (ais n. 3. in dicta Proclamat.) *Belga natione singularium virtutum vir, nam ex quo illi rationis vsus illuxit, incrementum sumpsit, ex Societatis Iesu (cuius Religionis alumnus fuit) educatione, qua ita provide virtutes nutrit, & promovet, non solum privato consulens Religiosorum bono; sed vniversali fidelium, ad quorum proventum dirigitur suum Sacrum Institutum.*

Et hæc prosequeris, & Societatem amplissimis honoribus [illegible] natus est enim tuus erga Jesuitas amor [illegible]

ex tempore *Catholicæ Querimoniæ*, sed Bon tati tuę congenitus; quę ex adversariorum procella ad tacam erga Societatem Serenissimam Beneficientiam excitata est. *Ac sicut maris* [dixit Plinius in Panegyr. ad Trajanum] *cœlique temperiem, turbines, tempestatesque commendant, ita ad augendam pacis tuæ gratiam, illũ tumultum præcessisse crediderim. Habet has vices conditio mortalium, vt adversa ex secundis; ex adversis secunda nascantur.* Taceam verò, nedum pro Societate grates referre teneor; *ingratus videar, prout satis, aut parum dixero*; vt eloquebatur idem Panegyrista.

P. Petrus Canisius, *Vir doctissimus, & omnibus pietatis artibus instructissimus, strenuus Ecclesiæ Dei contra infernorum portas propugnator.* Ita apud Stanislaum Resciam *in vita Cardin. Hosij lib. 1. cap. 20. Venerandus Vir, cuius laus est in Evangelio per omnes Ecclesias.* Ita apud Cardinal. Baron *ad A. C. 9.* Pręter innumera huius speciei elogia, quæ ex probatissimis Authoribus cumulat Alegambe *in Bibliotheca*, quibus addendus Petrus Opmero Amnsterodami natus, Catholicus Romanus, qui in sua *Chronologia anno 1556. Ignatius de Loyola*; hæc de Patre Canisio scribit. Ibi: *Plures Germanos à Lutheri dogmate sermone avertisse, quam Carolus V. gladio.*

Non inferioris animi encomium de Reverendissimo *P. Thyrso Gonzalez*, nunc pro meritis ita de iure efflagitantibus Societatis Jesu Religionis Dignissimo Præposito Generali prædicare possemus; si in hac civitate Malacitana permansisset, sed oportuit alijs etiam evangelizare. Eum merito recensendum duximus inter Sacros Heroes: Nefas enim esset, si in illud incurreremus, quod lepide notat Martial.

lib. 5 ep. 1. *Esse quid hoc dicam, vivis, quod fama negatur?*

Ad quod responsio congruit, quam cecinit Ovidius.

3. de Pont. *Pascitur in vivis livor, post fata quiescit*
Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.

Nos

Nos ergò, vt livore infectos Societates hostes torqueamus, vnum pro innueris superstitibus Doctoribus Reverendissimum Generalem decantemus. *Neque enim* aiebat Plinius *lib.* 1. *Epist.* 16. *debet operibus eius obesse, quod vivit. An si inter eos, quos nunquam vidimus, floruisset, non solum libros eius, verumetiam imagines conquireremus: eiusdem non honor præsentis, & gratia quasi satietate languescet? At hoc pravum, malignumque est, non admirari hominem admiratione dignissimum, quia videre, alloqui, audire complecti, nec laudare tantum, verùmetiam amare contingit.*

Omitto [quia de ijs plena testabitur Salmantina Academia] scripta, Cathedram, & doctrinam, qua multos evexit. Transeam ad ea, quæ te habens Testem Illustrissimũ quandoquidẽ iste Reverendiss. Pater, ex vigilantissima, qua gregi tibi à Domino commissæ consulis solicitudine, à Te accersitus anno 1669. vt Apostolicam exerceret Missionem Spiritus Sancti igne calescens, & sacra, qua pollet eloquentia, Divinus veluti Amphion, corda etiam saxea demulsit, & in verbis suis *monstra placavit*: monstra: nam vt aiebat Hieronymus ad Marcellam, *tot habemus Personarum similitudines, quot peccata.*

Extirpavit omnino consuetudines illicitas: intulit Dei amorem, & timorem; charitatem ita succendit, vt omnium dissidentium, & inimicorum ferrea corda liquescerent & palam in Ecclesijs à se mutuo amoris, & Christiani fœderis humilibus signis vnirentur. Mirandum tunè! sed ecce mirabilius; etiam Maurorum barbaries, Reverendissimi Patris ignito eloquio cessit, & servi dilexerunt illud.

Pium quidem, quantum singulare spectaculum! Omnis Mahometicę sectę á suis Dominis in scœnicum amphitheatrum certis statutis diebus cogi disposuit, vt eis panem Fidei Catholicæ frangeret, conveaimus quoque ingenti concursu, spectatum admissi, & nullus pene infidelium remansit, qui non ad Fidem nostram converteretur. Primos

mos ex conversis 50. numerum attingentes Tu ipse lustralis aquæ Sacramento tinxisti ad fores Ecclesię Cathedralis in magnifico Theatro ad id composito, vt huiusmodi triumpho non impar esset celebritatis decus, & Maiestas. Subegisset ergô Reverendissimus Pater Christi iugo, si incœptis posset non supersedere, plures Mahometicos, quam Regnis suis Catholicus Ferdinandus ense subiugavit. Asi Catholicos Missionarios apprimé premunivit, librum enim edidit *pro convertendis Mahometicis*, Doctor quidem *potens opere, & sermone*.

Sed quo vadimus? stellarum nomine insignivit Doctores, & Magistros sacer textus. *Dan. 12. vers. 3 Qui autem docti fuerunt fulgebunt, quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*, ex quo eandem sententiam hausit Rom. Pontifex *in cap. de Doctoribus*. Ergò stellæ clarissimæ fulgent in firmamento Ecclesię Doctores Societatis Jesu. Sed quot? Mille? Parum Bis centum mille? Plus forsitan. Numeret ergó eos, *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eys nomina vocat.*

Quid vltra? Stellę non eundem observant cursum *stellæ dicuntur pro eo, quod per diversos Orbes Cœlestium Planetarum feruntur* Divus Isidor. *origin. lib 3. de Astronomia 9. de cursu stellarum.* Non aliter Jesuitici Doctores, diversos, & omnigenæ litteraturæ cuius peregerunt scientias omnes, & litterarum omnium spheras percurrentes in commentarijs ad sacram Scripturam: in Theologia Scolastica: Parenętica, Cathetica, Polemica, Ascetica, Mystica, Exemplari, Positiva. In illustrationibus ad ius Canonicum, ad Concilia, & Patrum commentaria. Alij Historiam exornarunt Ecclesiasticam, Prophanam, Chronologicam; alij in Mathematicis, Oratorijs, Poeticis elucubrationibus insudarunt: alij Peregrinæ linguæ Nationum omnium Scriptores, & Interpretes. Quid ni? *Nil intentatum nostri liquere Parentes.* Nam etiam Grammatices omnium linguarum scrip-

scripserunt Præceptiones, Philologia, & Critica alij: & eruditissimas etiam prophanorum Authorum illustrationes.

Stellas istas dedit nobis Beneficentia Divina *in potestatem noctis*; in potestatem inquam, & exilium ignorantiæ, quæ tenebrarum more mentibus insiderit, donec doctrinæ cedunt; vt alias eccinit Boe.

De consol. Metro. 3. *Tunc me discussa liquerunt nocte tenebræ,*
Luminibusque prior redijt vigor.

Stellarum etiam instar refulgent quotquot fœcundissimum Societatis agrum sanguine irrigantes pro fide Catholica gloriosam mortem opetierunt. Et primo Inclyti Martyres Paulus Mihi: Ioannes de Goto, & Didacus Quizai: *Qui* (verba sunt R. P. Vrbani VIII. in Bulla *Salvatoris* anno 1627.) *pro Christi nomine in oppido civitate, nuncupato Nangassa qui extramutos in Regno Iaponiæ crucifixi, & transverberati fuerunt.* Sed suaviori calamo de huiusmodi stellis loquentem audiamus Maurolicum *lib. 5 de Occeano Religion.*

Ibi: *Quid de ijs dicam, qui pro Fidei Christianæ defensione, sanaque doctrina, sanguinem large perfuderunt, tinxerunt occeanum littora, camposque rigaruntque patibula, & tribunalia madefecerunt contentis tortoribus; la[illegible]is, atque ipso Tartaro, etiam fulgent in cœlo pro rutilis adamantibus, & [illegible] stellæ resplendent.*

Stellę cum sint, fortissimos istos fidei nostræ Athletas optimo iure etiam numero sub i non posse diceremus; sed (huiusmodi numerali impossibilitate Cœli Stellis reservata & si earum nomina, & numerum se cognovisse iactavit delirus quidam Philosophus Aratus; quem irridet Divus Augustinus *de civit. Dei, cap* 24. Abulensis *in Genesim. cap.* 15 & Deuteron. *cap.* 1.) numeravit stellas Jesuiticas, tum Doctores, & scripta; tum pro Christo passos, eorumque cruciatus, post alios Philippus Alegambe Societatis Jesu Religiosissimus vir in libro *Bibliotheca Scriptorum Societatis*

Iesu, cujus testimonium, utpote domesticum vacillare non potest; nam vltra quod de hoc recte dicere possemus, quod Cornelius Tacitus *in vita Agricolæ* de ijs, qui nedum suorum, sed sua facta historiæ tradiderunt, ibi: *Ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum arbitrati sunt. Nec id Rutilio, & Scauro citra fidem obtrectationi fuit. Adeo virtutes ijsdem temporibus optime æstimantur, quibus facile gignuntur.* Concurrit, quod commendatur à Barbosa *Apostolicar. Decis. Collectan.* 169. *n.* 1. Et prætere examinatus est liber ante editionem Romæ in speciali Congregatione ad id ab Vrbano VIII. deputatâ per continuum octo mensium curriculum; vt annotatur in fronte libri.

Scimus stellas quoque denominatos Reverendissimos, & Doctissimos Patres Dominicani Ordinis, à Sapientissimo quodam Jesuitico Vate in hoc epigrammate.

Gratian. (*Dominici Sacer Ordo tolis æquandus olimpi*
in arte. (*Lumine sydereas præterit ille faces.*
Ingenior (*Namque tot Empireo non flagrant vertice flammis,*
Disc. 44. (*Quot Polus iste virum flammea corda gerit. &c.*

Esto Cœlum, & Stellæ vterque præclarissimus Ordo, & in hoc etiam, esto vnum; sed peculiari quadam stellarum, & munus, & nomen Jesuitas adæquare nemo ambiget, nam vt scribit Abulensis 4. *Regum cap.* 17. *quæst.* 7. *vocatur militia cæli multitudo stellarum, quia stellæ moventur per cœlum, sicut milites in exercitu* ad textum Sacrum, ibi: *Et adoraverunt universam militiam cœli.* Et Deuteron. 17. q. 7. ad textum. *Et omnem militiam cœli.* Militiam sacram esse Societatem Jesu, iam diximus alibi ex Gregor. XV. ergò peculiari jure stellarum nomen Jesuitis adaptare non est ambigendum.

Stellæ munus etiam adimplevit erga Regias Personas, conscientias suas dirigendo, vt sui privati Confessarij ita apud Imperatores Germanos; Reges Christianissimos. Quod munus in Hispania nostra circa Regem nostrum Catholicum exercetur à Dominicano Reverendissimo Patre; erga
Re-

Reginam verò à Reverendissimo Jesuita.

Scimus etiam apud eosdem Patres conscientias suas pluribus ab hinc annis deponere Lusitaniæ, & Poloniæ Reges, Sabaudiæ & Bavariæ Duces, Comitem Palatinum Rheni. Neque præter eundum fuit illustre facinus, quod annis proximé lapsis Romanę Vrbis plausu exceptum est, egregiam scilicet fœminam Christianam Jesuitâ Doctore, & Magistro P. Antonio Macedo, Patrio Suevorum Regno se abdicasse, vt libere Catholicam Fidem profiteretur.

Et quis profecto nisi clarissimũ sydus tantę sufficiat solicitudini? Regibus Orientalibus, ideo Deus dedit ducẽ stellam, *quia quæcumque manifestatio fieri debet per signa familiaria*, ait Abulensis in Matthęum *cap.2.q.7* & rursus: *Quia Gentiles, & maximê Astrologi consueti sunt stellarum cursus inspicere ::: per cæleste signum, scilicet stellam Nativitas Domini notificata est.*

Signa sunt Iesuitę, quórum rectissimos cursus Christiani Principes semper contemplarunt, ergô merito eos Duces in semitis spiritualibus insequuntur. Et inde Societatis Olimpus hac relucet etiam, per filios suos exercita sublimi dignitate, quæ enim sublimior? *Confessarius enim Regibus constituitur in Iudicem, Medicum, & vnicum Consiliarium supremi Principis, qui tenetur, & potest maiore libertate Regem monere, & constringere ex parte Dei ad id, quod sibi expedierit, in ordinem ad bonum suum spirituale, & suorum Regnorum.* Dixit Ægid. Gonçalez Davila *in Theatro Matriti, lib 3. pag.* 326. sed magis strictè Bardaxi in foris Aragoniæ *lib.1. de offic. Chancellarij, fol.*74. ibi:

Principi frænum, & consilij sui.

Gaudeant ergó vndique, & vndique stellarum honoribus; gaudeant exemptionibus. Micabunt igitur in firmamento Ecclesiæ Jesuitæ ab omni adversariorum impetu immunes: *Stellæ enim* [notat Abulensis in Matthæum *cap.* 24. q 162] *sunt quinta natura aliena à corruptione, & alteratione.* Quod si invidiæ nubes earum lucem sequestrare

atten-

attentarunt, id ipsum earum profuit amplitudini, iuxta Cordubensis acumen, *quæst. nat. lib. 1. cap. 6. Sidera ampliora per nubem adspicienti videntur.*

§. II.

DE SOCIETATIS IESVITICÆ LAVDATORIBVS.

SEd nunc de Societatis stellarum claritate. *Claritas autem ista Bonorum Virorum secunda opinio est.* Seneca epist. 102. Vbi Lipsius *secunda opinio, id est, amica, & favens.* Sed prosequatur Philosophus: *Nam quomodo fama non est vnius, nec infamia vnius mala existimatio: sic nec claritas, vni bono placuisse. Consentire in hoc plures insignes, & præstantes viri debent, vt claritas sit.*

Plurimos huiusmodi nomenclatores statim demostrabimus, & innumeros penè consulto omitere necesse erit. Reverendissimus P. F. Franciscus Romeu, Dominicani Ordinis Magister Generalis, *in epist. ad Ordinem*, Capitulum Generale Valentię celebratum anno 1596. *admonit*, 4. Reverendissimus eius Ordinis Generalis P. M. Fr. Dominicus Baltanàs eius Ordinis Bœticæ Provincialis *in Apologia pro Societate Iesu*: Venerabilis Vi Fr. Ludovicus de Granada *in epist. relatis* à P. Ribadeneira *in Historia Societatis.*

Floremundus Rotemundus *de Origine Hæresum lib, 5. cap. 3* Rutilius Benzonio Episcopus Lauretanus, *Tractat. de Fuga in peste, lib. 1. disp. 1 fol 16. lit. B. & tract. de Iubileo lib. 1. cap. 8.* Franciscus Zipeus *de Magistratibus, lib. 3. cap. 2. n 6.* Stanislaus Reicius *Spongia contra Polonum.* Bzovius *de Roman. Pontifice cap 24. fol. 246.* Coriolanus *in Chronol. Eccles. in addit. ad Gregor. XV. fol. 453.* Episcopus Levinus Torrentius *in epist. ad Academiam Lobaniensem.* Ludovicus Blosius *in epist. ad Virgilium Zuichemum.* Ferreolus Locrius *in Maria Augusta lib 3 cap. 14.* Barbosa *Apostol. car. decis. collectan. 69* Vbi n. 1. innumeros recenset laudatores, & ipse laudat n. 25.

Fran

Franciscus Montanus Natione Gallus *in Apologia Societat. contra Arnaldi Advocati Parisiensis Philippica n.* Et Fr. ... cius Puteanus *in Apologia pro Societate adversus Isaacum Casaubonum*, sub titulo *strictura*. Payva in Andrade Theologus Concilio Tridentino pro Cardinali Rege Portugalliæ *in Præfat. ad librum : Explicationes Ortodoxæ.* Et i.. Apologia contra Kmnicium, & Mohemum. Garibay *Histor. Hisp. lib. 14. tom. 2. cap. 4.*

Prosper Farinac. *de Hæresi in Præfact* Petrus Matthæus *ad Constitut. Pontific. in Paulo III. §. 3. ad Bullam Institut. Societat. Iesu.* Et in Greg XIII. *Const. 42 in fine.* Solorzan. *de Indiar. Gubernat. lib. 1. cap. 26 n. 67. lib 3. cap. 16 n. 68 & an. 18. n. 9. &* 10. Beyerlinch *in Theatro vitæ humanæ, litt. C. verbo, Cathecismus.* Antonius Faber *in Codice. lib. 7. tit. 12. de maleficijs, diffinit. 2. in fine.* Nicolini *in cap. visibili Catholico, §. 4. n. 5. in Alexandro VII.*

Non mihi si centum linguæ sint, oraquè centum.
Omnia Doctorum percurrere nomina possim

Sed iam forsitan quis interroget, quas in laudes erūpit tot, tamque perillustrium Virorum concentus? Eloquantur aliqui. Dicat prius Reverendissimus Dominicanus Generalis Romeus, ibi : *Pateat vobis, qualiter hoc calamitoso tempore, quo Religio Christiana Hæreticorum telis impetitur, malorumque Christianorum perversis moribus infœstatur, novus Ordo Presbyterorum Regularium sub titulo Nominis Iesu, de Vrbe, quasi subsidiaria manus, Dei benignitate immissus est; quem ob ingentes fructus, quos lectionibus, & concionibus publicis, privatorum adhortationibus, confessionum audientia, cæterisque sacris exercitijs, ac sanctorum morum exemplis, in Ecclesia facit, &c.* Integra est apud Carden. s ... *Theologica in Dedicatoria celeberrima ad Te* Illustrissime Domine.

Subsequatur Ille toto terrarum orbe plausibilis Iurisconsultus Farinacius, qui tractatum suum de *Hæresi* in proloquio ad Emm. D. D. Cardinales Inquisitores Generales,

à limpidissimo Societatis Jesu fonte, suisque, quos nominat, Doctoribus, imò *Oraculis* ebibisse fatetur, & sic affatur.

Ibi : *Ab ipsis Theologorum Oraculis petenda cognitio erat. Horum tamen doctrina mirifice recreatus sum, & labore levatus omni, postquam ::: cœpi libros evolvere, tùm verò maxime Benedicti Pererij, Ioan. Azorij, Francisci Suarez, Thomæ Sanchez, Gregorij Valencia, Martini del Rio, Leonardi Lessij aliorumque hominum, & quidem ê Societate Iesu splendida illa litterarum Officina, scientissimorum. Qui tam calidè, copioseque universas, quæ in hanc cadere solent, disceptationem; explanarunt, enodaruntque difficultates, vt si quid est, quod in hoc labore meo laudem, commendationemque nominis mereatur aliquā, id ex eorum fontibus discertè, vt par est, atque simpliciter hausisse me fatear. Vnum his tam doctis, & sapientibus Viris anteponere debueram, qui mihi præ cæteris ad hoc opus gravissimum, & obscurissimum perficiendum, propè cælestem prætulit, & ardentissimam facem: sed propter singularem doctrinam, & ob eam, quā obtinet summæ proximam dignitatem, ab aliorum numero eximendus fuit, & commemorandus egregie. Sidus illud, ego loquor, Ecclesiæ clarissimum, & Hæreticorum formidolosissimum fulmen Robertum Bellarminum Cardinalem Illustrissimum, illum sapientium omnium, qui fuerunt vnquam, aut præsentia sunt spectatissimum Coripheum, illum probatissimum, innocentissimum, integerrimum virum. Cuius non modo scriptorum aculeis, sed commemoratione solum, ac sanctimoniæ fama perculsi Christianæ Religionis hostes, & Ecclesiæ perduelles sæpê subsistunt admirabundi, sæpè vincuntur, sæpissimè revocantur in castra, & resipiscunt.*

Succedat Doctissimus Apostolicarum Bullarum Illustrator Petrus Matthæus ad *Bullam Pauli III. super Instit. Societatis*, ibi: *Huius Sodalitatis præclarissima trophea domi, forisque parta, testantur nostris temporibus omnes pene historiographi.* Et infra : *Si quid reparatæ pietatis, & disciplinæ Ecclesiasticæ habeant, Germani, Galli, & Anglici, id profecto, debent pijssimis Patribus Societatis Iesu. Illis grates referat India,*

dia, quod tenebris sepulta iubar sydereum Evangelii conspexerit. Quibus verò, ac quantis rerum discriminibus perfunguntur, satis intelligit, qui novi orbis historias legere dignatur. Hæc iusti voluminis magnitudinem desiderant.

Et rursùs *in Gregor. XIII. ad Constitut.* 41. *in fine*, ibi: *Quantum commodi, & utilitatis Reipublicæ Christianæ adduxerint Societatis Iesu Patres, in erudienda iuventute ex cuius educatione, vt messis spes in semente posita est, reliquæ vitæ spectatio dependet. Quamobrem vbique tam præclara illis structa sunt Gymnasia, quæ profectò vera sunt pietatis, religionis, & doctrinæ asyla, ad quæ furentibus hæresis, & ignorantiæ monstris confugiant omnes.* Et enumerat circiter ducenta Collegia per omnia Regna erecta vsque ad annum 1588. O quam fœliciter á quadragesimo quinto anno erectionis suę amplificata! Quantum verô postea? facilius quispiam ducet, quas orbis partes non incolant, recensere, quam vbi gentium immorentur ennarrare.

Et rursùs. *Constit.* 42. *in fine*, ibi: *Multum podesse his, qui multum prosunt; iura enim humana, tum Divina volunt Quæ vtilitas suborta sit Ecclesiæ ex venerando Nominis Iesu sodalitio, testantur tot præclara monumenta pietatis, & eruditionis, per orbem erecta: tot insignia Archigymnasia, quæ superiùs enumeravimus, in quibus, & moribus, & doctrina hominum consulitur, vt nulla Regia eorum laboris inscia sit. Taceo Populos Barbaros in India Occidentali, Brasilica Regione, & Novi Orbis Insulis ad veritatis lucem eorum opera edoctos, infideles baptizatos, hæreses Germaniæ maiore ex parte concussas. Et longê à nostro Orbe remotos Principes ad pedum oscula Summi Pontificis perductos, & innumera illa vitæ discrimina in publicum commodum exantlata, quæ dignissimis hisce privilegiis pensare esse operæ pretium Sedi Apostolicæ visum est. Hæc omnia brevissima adeò verborum serie complecti nequeunt. De his conscripta sunt integra commentaria.*

Succedat ille Canonicorum Doctorum Doctor Barbosa *dicta Collectan. n.* 23. ibi: *In Hæreticis, & infidelibus ad*

Ca-

Catholicam Fidem reducendis, & maximè in remotissimis Regionibus plurimùm, & laudabiliter elaborarunt strenuissimi huius Sanctæ Societatis milites.

Dicat nunc omnigenæ litteraturæ refertissimus Thesaurus apud Gentes omnes sapientia cultas sæpissime apertus Beyerlinch. Ibi: *Nostro sæculo inter omnes Religionem aliquam professos, sedulo, & miro cum fructu eruditioni iuventutis incumbunt Religiosi, sive Clerici Societatis Iesu, vel hoc nomine celebrandi, quod hanc rem Ecclesiæ Dei vtilissimam magno Zelo curent, & exacta methodo iuventutis regimini accommodata exequantur, sis vt proprium eorundem munus videatur, & in quod omnes incumbunt. teneros puerorum animos Christianæ disciplinæ formulis velut cum ipso lacte imbuere. Quo fit, vt ijs locis quibus Societas hæc admissa est, videre liceat iuvenes moribus, & pietate instructos, & de ijs etiam rebus, quas alibi adultiores ignorant, disserentes. Neque dumtaxat honestioribus hunc laborem impendunt, sed & pauperibus, qui arte, & manu victum quærunt, aut impensis eleemosynarum, vel è publico aluntur, assidua instructione diebus, quibus ab opere feriantur, adsunt, nec ab agrestium etiam pia directione, vbi ea per Parochos negligitur, se substrahunt: quin exemplo Apostoli, omnibus omnia facti, omnium moribus, & disciplina se accommodent. Sic vt in sola Antuerpia habeas subinde XXX. numero, & plures, pro varietate locorum, qui in hac pietate desudant.*

Audiatur vtriusque Hispaniæ Illustrissimus Doctor, & testis ocularis Selezarno *in cap.26.* ita: *Hanc curam educandæ & instruendæ adolescentiæ Patribus Societatis Iesu, cum primis committi debere eo, quod eorum institutum ad hoc valde vbique conduxisse videamus. Qua de causa, & hac Indorum Collegia eiusdem Limæ, Cuzqui, & in alijs Vrbibus Peruannis commissa sunt, & Ego semper reliqua committi debere iudicavi.*

Et *lib.18* ibi: *Religiosi Societatis Iesu à Clemen. VIII. fælicis record. diploma impetrarunt, vt sibi solis liceret ad convertendas Iaponiorum Gentes accedere, ex quo nullum fere aliud, quam Martyrij præmium expetunt, & expectant.* Quo privile-

legio plurimis annis vsi sunt, donec etiam cæteris Religionibus communicari debere per Sedem Apostolicam statutum est; vt ibidem scribit.

Nicolini Historiagraphus Ecclesiasticus prudentissimus. *Secundo sui Pontificatus anno* (loquitur de Alexandro VII) *curavit de restituendis Patribus Societatis Iesu ad status Dominationis Venetiarum, quod breviter, & fœliciter suis instantijs ab illa Potente Republica obtinuit. Cui per suum diploma Apostolicum fœcundos fructus percepturam in suis ditionibus pollicetur, per Religiosos adeò operarios; quia licet sint ex vltimis Ecclesiæ Religionibus, cui ortum dedit Nobilissimus Ignatius de Loyola, Illustris Hispanus, Nationes etiam exteræ minimè eis encomium Evangelij denegabunt (absit comparatio, vt odium vitemus) Erunt novissimi primi, quandoquidem propter laborem, quem in vinea Domini impendunt, æqualem merentur plausum, & præmium, ac antiquiores, & observantiores familiæ, quæ tanto splendore, meritis, & gloria per tot centurias antea Ecclesiæ inservierunt.*

Ferat denique sententiam in Iurisprudentia, vtpoté Magister, & Iurisconsultorum Pater vbique in veneratione habitus *Faber*; qui postquam maximis laudibus evexit P. Martinum del Rio; sic prosequitur: *Inter tot, tantosque viros Societatis Iesu Patres, quibus nihil ætas nostra tulit, feretque, aut eruditius, aut Religiosius, nihil denique, toti Christianæ Reip. in tanta sæculi infœlicitate vtilius.*

Sed quod omnia firmat; satis est Illustrissime Domine, Tua tota Catholica Querimonia, in qua Societas Iesu vndique, & vndique prædicatur exaltata; equidem (verba Plinij mutuabo *in epist. ad Traianum lib.* 10. pag. mihi 292.) *Existimo Tua providentia constitutum aliquid, & sancitum, per quod vtilitatibus eorum in perpetuum consulatur. Nam quæ sunt ab alijs instituta, brevia tamen, & infirma sunt, nisi tua illis contingat authoritas.*

Nobilitati virtutem Societatis Iesu novus accrevit splendor ex tot Doctorum laudibus. *Quædam act. onum nobilis-*

bilitas est, dignum inveniri laude magnorum. Ennodius dic. & sed ex Tua Catholica Querimonia, te venerans Encomiasten, non modo nobilitata, sed magnificata est Societas. *Magnificum est laudari à laudato viro.* Vbi addit Seneca *laude digno* epist. 102. cui consonat Mamertinus *in Paneg. Iuliani*; Vbi ait: *Putant aliquid adijcere ad splendorem laudum tuarum consulis nomen, & rectè putant; adijcit enim laudem Dignitati, honor laudantis.* Quis te laudatior? Quis melior? Quis honoratior? Exteræ etiam Nationes, imò & Societatis adversarij contestantur; non enim Tuarum virtutum præconia intra Tuæ Diœcesis limites concluduntur, sed in extraneis Gentibus personarunt, ex qua singularitate nullo adulationis fuco laudes Tuas ostendi pro comperto est, siquidem vt dissertè perpendit Cassiodorus *variar. lib* 10. *epist.* 19. *Commune est cunctis in suis imperijs prædicari: sed illud est omnimodis singulare in extranea gente laudes proprias invenire: quia ibi sunt vera iudicia, vbi neminem comprimit vlla timiditas.*

Manet ergò, non modo Nobilitata, & Magnificata; sed Gloriosa Societas Jesu; sed & quod hæc omnia excedit, clara. *Quid intersit inter claritatem, & gloriam, dicam. Gloria multorum iudicijs constat; claritas bonorum.* Ita distinxit Seneca *dict. epist* 102.

Psallite igitur calamis, celebratissimi Doctores; intonet Tua Illustrissima Dominatio in Catholica Querimonia meritas Societati laudes; psallite sapienter; id enim, & Societatis, & vestra exaltatio est. Vt aliàs quæstionem dissolvit Seneca ibidem. *Cuius bonum est claritas? Idest laus bono à bonis reddita? Vtrùm laudati, an laudantis? Vtriusque meâ qui laudor ::: Est & illud laudantium bonum: virtute enim geritur: omnis autē actio virtutis bonū est :: Itaq. vtriusque bonum est, meritò laudari: tam me hercule, quam bene iudicasse, iudicantis bonum est, & eius, secundum quem iudicatum est. Nunquid dubitas, quin iustitia, & habentis bonum sit, & eius, cui debitum solvit? Merentem laudare, iustitia est: igitur vtriusque bonum est.*

§.

§. III.

DE HONORIBVS APOSTOLICIS.

NOn ergo vltro, nec ex mera liberalitate, sed ex debito iustitiæ Societatis Iesu laudes vbique terrarum decantandæ. *Neque enim* (ait Chrysostomus homil. 14. ad Romanos) *Rege suffragio suo aliquem eligente, aut honorem alicui apud omnes praconio suo decernente, audebit subditorum quisquam contradicere.* Imô iam pridem legibus stabilitum est, *omnes honorare teneri, quos Princeps honorat*, vt per textum *in l. restituenda, in fin. C. de Advocat. divers. iudicium*, & pluribus scribit Calanæus *in Cathalog. gloss. Nundi*, 1. *p. cons.* 4. & post eum Valençuela Velazq *cons.* 83 *n.* 16. *& seqq.*

E quis altior Princeps, quam Vicarius Christi Domini, qui vnum cum eo Tribunal constituit, *cap. licet, cap. quanto, cap. inter corporal. de translat Episcopi.* Et vt multa breviter perstingamus; quæ ex pluribus recentioris Doctoribus *lib.* 2. *de Indiar. iure, cap.* 23. scribit Soloiçan. *Inter omnes mundi Principes supremum obtinet Principatum, & Monarchiam, & est maior omnibus, & vnus omnium Princeps constitutus super Reges, & Regna, Causa causarum, Dominus dominantium, omnium Dignitatum; omnia, & super omnia.*

Ergô cum à Vicario Christi Societatis elogia diffundantur, iure ab omnibus exaltari necessum est. Vidimus Paulum III. semel, & iterum in Bulla *Regimini*, & in Bulla *Cum inter cunctas.* Societatem summis honoribus extollentem. Audiamus adhùc in Bulla *Licet debitum* anno 1549.

Ibi: *Ad Societatem verò Iesu per Nos institutam, & approbatam, cuius specimen, veluti ager fertilis, multiplices, atque vberes fructus animarum, ad summi Regis laudem, & fidei incrementum attulit, & affert quotidie verbo, & exemplo in populo Christiano.*

Iulius III in Bulla *Expôscit debitum* anno 1450. ibi: *Quapropter considerantes nihil, quod pium, sanctumque non sit*

in dicta Societate, eiusque laudabilibus institutis, ac exemplari Ignatij, & aliorum sociorum Prædicatorum vita, & moribus reperiri, eaque omnia ad suorum, & aliorum Christi fidelium animarum salutem, & fidei exaltationem tendere.

Item in Bulla *Sacræ Religionis* anno 1552. ibi: *Sacræ Religionis, sub qua dilecti filij Societatis Iesu, reiectis sæculi vanitatibus, gratum Altissimo præbent sub humilitatis spiritu famulatum, & ferventibus studijs per exempla virtutum, & solidam doctrinam alios ad Divinæ Maiestatis obsequia trahunt, favor exposcit, &c.*

Pius IV. in Bulla: *Et si ex debiti*, anno 1561. *Ad illos tamen, qui sicut nomen Sociorum Iesu assumpserunt, ita opere, doctrina, & exemplis D. N. Iesum Christum imitari, & eius vestigia sequi nitantur, maioribus favoribus, & gratijs prosequendum, invitamur.* Et infra: *Attendentes quantum dicta vestra Societas in Ecclesia Dei hactenus fructum attulerit, & quantum in futurum Deo dante, sit allatura; & propterea vos præ cæteris alijs Religiosis maioribus favoribus, & gratijs fore merito prosequendos.*

Sanctus Pius V. in Bulla *Innumerabiles*, anno 1568. ibi: *Innumerabiles fructus, quos benedicente Deo, Christiano Orbi Societas Iesu, viros litterarum præcipuè Sacrarum scientia, Religione, vita exemplari, morumque sanctimonia perspicuos, multorum Religiosissimos Præceptores, ac Verbi Divini etiam apud longinquas, & barbaras illas nationes, quæ Deum penitus non noverant, optimos Prædicatores, & interpretes producendo, fœlicissime hactenùs attulit, & adhùc solicitis studijs afferre non desistit, animo sæpius revolventes nostro.*

Item in Bulla *Cum indefessæ*, anno 1571. ibi: *Considerationis intuitu perscrutamur, quantam Christianæ Reip. utilitatem attulerint dilecti filij Presbyteri Societatis Iesu, ac planè conspicimus, eos verè huiusmodi relictis illecebris, adeò servatori suo se dedicasse, ut contemptis thesauris, quos ærugo, & tinea comedit, lumbisque, paupertate, & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus. usque ad Orientales, &*

Occidentales Indias penetraverint: ac corum aliqui ita Domini amor perstrinxerit, ut etiam proprij sanguinis prodigi, ut Verbum Dei inibi efficatius plantarent, martyrio voluntario se supposuerint: per quae eorum spiritualia exercitia etiam regna ipsa fidem Christi agnoverint, tam inibi, quam ubique terrarum charitatis, & misericordiae opera exercere studeant, facere nullo modo possumus, quin eos tanquam veros palmites in Christo per charitatem coniunctos, & benignè implectamur, & ea sibi specialia concedamus &c.

Gregor. XIII. in Bulla: *Quacumque*, anno 1596. *Nos igitur, qui praefatos Presbyteros, ac Religiosos dictae Societatis à studijs, lectionibus, praedicationibus, confessionibus audiendis, & alijs verbi Dei ministerijs, ac pietatis operibus, quibus continuò laudabiliter incubuerunt, & incumbere non desistunt quavis ex causa distrahi, nolumus, &c.*

Idem in Bulla: *Salvatoris*, anno 1576 *Sanè, ut accepimus, licet dilecti filij Presbyteri venerabilis Societatis Iesu in vinea Domini, tanquam fructiferi palmites, in toto fere Orbe tam in continendis in via mandatorum Christi Fidelibus; infirmis in fide consolidandis, aegrotisq; sanandis, confractis alligandis, & abiectis reducendis, ovibusque dispersis, & lupis vespertinis, leonumque famelicis catulis in devorationem expositis, reclamandis, & defendendis, quam etiam ijs, qui extra ovile Christi, Sacrosanctique Imperij nostri tutelam, sub ignorantiae iugo, in obscuris, & tenebricosis locis, ac desertis per montuosas, ac dificiles vias aberrant, convertendis, & ad Nationes, Catholica Religione imbutas, ad immanes, barbarasque Divini cultus, politicique ornatus ignaras gentes, ferino potius, quam humano more viventes, se se extendentes, optimum, & uberrimum fructum attulerint, & in dies maiori cum felicitudine afferre, cizania extirpare, bonum semen renovare, terrasque incultas evangelico sulco, & Ecclesiastica Disciplinae vomere exuberare, non cessent. At dudum propter ipsius Societatis, tam utiles, tamque necessarias functiones, quae cum in Dominibus, per frequentem paenitentiae, & Eucharistiae Sacramento [illegible]*

nistrationem, & ad eorum frequentiam sectandam, exhortationum, prædicationemque, & spiritualia exercitia, ac alia Verbi Dei ministeria, tum in Collegijs, per lectiones tam bonarum litterarum, quam Philosophiæ, etiam, & Theologiæ, ad iuventutem bonis moribus, & litteris imbuendam, ex ipsius Societatis primæva instituti erectione, ac Divina vocatione magno Dei beneficio, & Ecclesiæ spirituali emolumento, exercet.

Et in Bulla: *Ascendente Domino*, anno 1584. *Cumque tanti laboris, & validos remiges Divina nobis Providentia præparaverit, eorum opera in superandis sævientis pelagi tempestatibus nos maximè sublevant, qui pro communi fluctuantium animarum salute propria commoda nihil pendunt, seque ad omnia discrimina exponunt; in quo cum aliarum Religionum studia, tum Societatis Iesu assiduus pro Christo labor, nec non usque ad finem perseverantia promptam se ostendit: cumque prolem Catholicæ Religioni valde proficuam, & ad omnia pericula, pro universali Ecclesia subeunda paratam procreavit, aliam atque aliam à prima non degenerem, præstante gratia Dei, quotidie substituit, ut nobis eorum Alumni, per multiplices probationum gradus altius provecti, semper præsto sint, quos in rebus arduis suscipiendis fructuosos operarios asciscamus: eos autem, ut firmiorem nobis opem ad prædicta navare possint, ab omni non modò iniuria, sed etiam calumnia studemus intactos conservare. &c.*

Idem in Bulla: *Quanta in vinea*, anno 1578. *Quanta in vinea Domini fructuosa opera Societas Iesu quotidie verbo, & exemplo in populo Christiano attulerit, continuosque labores, quos pro Divini Nominis gloria, & exaltatione Fidei Catholicæ Presbyteri dictæ Societatis supportant, cordi nostro provenit satisfactio, &c.*

Et in Bulla *Ascendente*, rursus, ibi: *Quæ omnia non immerito ab eis sunt concessa, ob egregias virtutes, & dona Societati antedicta Divinitus elargita, cuius præcipuus finis Catholicæ est Religionis defensio, ac propagatio, animarumque in Christiana vita, & doctrina profectus, gratiæ quoque eius vocatio-*

cationis est proprium, diversa orbis terrarum loca, ex Romani Pontificis, seu Præpositi Generalis eiusdem Societatis directione peragrare, vitamque in quavis mundi parte agere, ubi salubriorum sua opera animarum copiosior proventus ad Dei gloriam speretur. Ad quem finem Spiritus Sanctus bonæ memoriæ Ignatij Loyolæ Societatis ipsius institutoris, eiusque sociorum excitator, media quoque prædicationum, ac cuiuscumque ministerij verbi Dei, Doctrinaque Christianæ, & spiritualium exercitiorum, aliorum item charitatis operum, & Sacramentorum administrationis, ac præcipuè pœnitentiæ, & Eucharistiæ, horumque frequentioris usus accommodavit; ad quæ sufficienter, & pro dignitate præstanda, difficultates superandas, periculaque adeunda, quibus dictæ Societatis Religiosi in huiusmodi discursibus, & ministerijs exponuntur, necesse est, ut ipsi talia obituri, magno virtutis, & devotionis præsidio muniantur, quod illis gratia in primis omnipotentis Dei, simulque educatio ipsa, longa item in Societate probatio, necnon Regularum, & Constitutionum observantia præstare noscuntur, &c.

Gregor. XIV. in Bulla: *Ecclesiæ Catholicæ*, anno 1591. *In his vero Religio Societatis Iesu, quam novissimis hisce diebus Divina Providentia excitavit, adeò strenuè laboravit, ac sine intermissione laborat, ut illius vel turbationem, & infirmitatem ad commune Ecclesiæ damnum, vel pacem, atque integritatem, ad eiusdem utilitatem maximè pertinere putemus, &c.*

Paulus V. in Bulla: *Quantum Religio*, anno 1606. *Quantum Religio Societatis Iesu in Ecclesia ad fidei, pietatis, & Religionis augmentum profecerit, & in dies magis proficiat, Nos ipsi scimus, & Christiana Respublica novit universa. Propterea illam diversimodè perturbare, & ab incepto retardare, malis artibus humani generis hostis quotidie nititur: è contra verò illam, & in suo laudabili proposito confovere, & ad instituti ipsius puritatem, & nitorem pristinum retinendum adiuvare, &c. Nos totis viribus contendimus.*

Gregor. XV. supra relatus: *Sacra Militia Societatis Catholici Nominis defensione, & Hæreticorum exordijs clarissimam.*

Cle-

Clemens VIII. supra etiam relatus: *Brachium dextrum Ecclesiæ.*

Vrbanus VIII. in Bulla *Rationi*, 1623. *Ignatius Vir verè, quem praelegerat Dominus, vt eorum dux fieret, qui portarent eius Sanctissimum Nomen coram gentibus, & populis, & infideles ad verè fidei cognitionem inducerent.*

Idem Vrbanus VIII. in Bulla *Vota*, anno 1631. §.3. ibi: *Cum vero vota huiusmodi laudabilibus prædictæ Societatis institutis convenientia sint: Nos ad eximios, & vberes fructus, quos eiusdem Societatis Clerici in agro Dominico in dies faciunt, considerationis nostræ dirigentes intuitum.*

Alexander VII. in Bulla *Cum sicut*, anno 1657. Societatem ita honoravit: *Nos, qui vrbe scimus quantopere conducant exercitia huiusmodi in dirigendis in viã Domini, & confirmandis in illa Christi Fidelium mentibus, devotionem eorum, qui operi adeò pio, & salutari vacaverint, cœlestium Ecclesiæ thesaurorum elargitione magis incitare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius authoritati confisi, omnibus, & singulis Christi fidelibus tam prædictæ Societatis, aut cuiuscumque alterius Ordinis, & Congregationis Regularibus, quam alijs quibuslibet Ecclesiasticis, & laicis, qui in Domibus memoratæ Societatis exercitia prædicta iuxta laudabilem eiusdem Societatis consuetudinem per octo dierum spatium quandocumque peregerint, & inter ea temporis verè pœnitentes, & confessi Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.*

Idem Alexander VII. in Bulla *In Apostolica*, anno 1659. Sancti Pij V. vestigijs insistens Collegium Minorum Pœnitentiariorũ instauravit & Societati Iesu commisit. *Pro animarum salute, & spirituali consolatione Christi fidelium, ut Romanus Pontifex.*

Idem in Bulla *Debitum*, anno 1663. *Debitum Pastoralis Officij, quo Ecclesiæ Catholicæ Regimini Divina dispositione præ-*

præsidemus, exigit, vt paternam dilectorum filiorum Presbyterorum, & Clericorum Societatis Iesu, quæ ab ipsis fundationis suæ primordijs in re Christianæ Religionis iuvanda, promovendaque infidelium, & Hæreticorum conversione, & horum pertinacia retundenda, ac iuventute litteris, & probis moribus informanda, Christique fidelibus in viam mandatorum, Dei dirigendis (adiuvante Domino) sedulò semper, & fructuosè laboravit, ac etiam nunc strenuè laborat, curem peculiari studio gerentes, illa quæ prospero, feliciqne ipsius Societatis regimini, & progressui impedimentum adferre nosceuntur, è medio tollamus, & abrogemus, sicut magistra rerum experientia suadet, & nos matura consultatione adhibitâ ad Omnipotentis Dei gloriam salubriter expedire arbitramur.

Et intra: *Certò sciens totum sanctæ huius, & nunquam satis laudatæ Religionis stabilimentum in viridi instituti ipsius & decretorum super hoc in generalibus Congregationibus eiusdē Societatis editorum observantia consistere, illamque ab impugnationibus, molestijs, & calumnijs vindicare, & in sui instituti integritate, puritate, quietê, & pace conservare cupiens.*

Clemens IX. in Bulla, *Religiosorum*, anno 1668. *Societatem Iesu viris pietate Religione, sacrarum, eiusque ancillantium bonarum litterarum scientia, ac propriæ, alienæque salutis studio eximiè præditis fulgentem, singularibusque in hanc sanctam Sedem meritis conspicuam, peculiari Apostolicæ dilectionis affectu prosequimur. Et propterea fœlici illius regimini, religiosæque tranquillitati libenter consulimus, sicut omnibus debitè consideratis, pietati atque prudentiæ censemus esse consentaneum.*

Quid ergo vltra, de tuis honoribus prædicabimus, Societas inclita, Perillustris, Religiosissima, Triumphatrix, Eminentissima, Purpurarata, omnium litterarum, & virtutum perenne simulachrum? *Quoad honores filij sequuntur conditionis matris; secundum quod vulgatum est in iuribus, scilicèt, quod partus ventrem sequitur:* Notavit *in Genes.* 22.

Abulens. seu vt proprius diceret cum Iurisperitis, *Filij sequuntur Patrem, quoad honores; ex l. Senatoris §. de Senator.* Matrem verò quoad statum, & conditionem, vt docet Imperator *in § sed,& si quis, Institut. de ingenuis.* Exultet igitur Nobilissima Soboles Tua (Societas Sancta) exultet ex sui Gloriosissimi Parentis Ignatij Cœlesti Dignitate, quam ambis, charismatum eius æmulatrix; exultet ex elevatissimo Tuo statu,& conditione.

Nihil rerum natura tam sacrum est, quod sacrilegum non inveniat, sed non ideo Divina minus in sublimi sunt, si existant, qui magnitudinem, multum vltra se positam non icturi petant. dixit Seneca *de constantia cap. 3.*

Ergô, & Catholica Querimonia, & Societas frustrà impetita adversarios insultus irrisit. Insonet igitur, vt eos deterreat incessanter doctissimum, pariter acre, & disertum *Querimoniæ* classicum; dùmque Jesuiticas laudes patrié diffundit, resonet dulcis Echo, non illa, de qua Ausonius.

Aeris, & linguæ sunt filia, mater inanis.

Sed Episcopalis verissimus cantus Lævini Torrentij Episcopi Antuerpensis *in Oda ad Societatem.*

O grata cœlo sancta sodalitas!
Rex Regum Iesus nomine quã suo
Illustrat, exornatque toto
Vt celebri mĕmoreris Orbe:
..... Orbe toto prorsùs, & integro
Quam bellicoso dum volitãt mari
Vtroque porrectum sub axe
Magnanimi reperere Iberi:
Quorum secuti turgida lintea,
Pura sed omni mente cupidine,
Pulchro nec argento, nec auro
Nec nitidis inhiante gemmis,
Armis vt illi sceptra potentium
Fregêre Regũ, fluminaq́; & lacus
Portusque, vicinasque gentes
Indomito subiere ferro.
Sic vos inermes, impavidi tamen
Casta inferentes indignis sacra,
Hac impios cultus, & omnem
Barbariem pepulistis arte.

Et post plura:

Nec de receptis gloria Barbaris.
Est maior illa, quã domiti dabũt
Caluique, Lutheriq́;, & omnes
Colluvies simul impiorum.

Fremăt superbi, nec teneant minas
Bellumque, cædesq; & rabiē parēt
Causăq; quă ius damnat æquū
Vi vetitis tueantur armis.
Vos ista prudens simplicitas, beat
Morata. se se nec levis efferens,
Defendet in sontes. At ipse.
Se rabidus mali perdet hostis.
Qui quo cruentus sævierit magis
Plus inde damni cōperiet, vidēs
Vicisse, quos victos putarat,
Et cineri super esse vires.

Dissecuimus iam linguas adversariorum (Illustrissime Princeps) diximus: Catholicam Querimoniam declamavimus.